

Ce texte a été établi à partir de l'édition sortie des presses de Pietro Martire Mantegazza, à Milan, en 1510.

JO. FRANCISCI QUINTIANI STOAE POETAE LAUREATI

ORPHEOS LIBER PRIMUS.

O\_I v.1 Orphea dulcisonum vatem, melicisque superbum  
 2 cantibus harmoniae, plectro fidibusque moventem  
 3 et nemora, et montes, animalia, flumina, silvas,  
 4 aérias et aves, et agrestia corda trahentem  
 5 ad civile bonum et connubia tristia nymphae  
 6 Eurydices, nervisque adamantina jura canoris  
 7 diris rupta feri, disfractaque foedera legis  
 8 Infernae, et Ciconum vatis sacra membra furore  
 9 Calliope disjecta refer. Si Thracius Orpheus  
 10 progenies tua vera fuit, si numine justo  
 11 pectora nostra regis. Si me tua numina terrent  
 12 circumfusa animos, si mens mea digna per altos  
 13 ire locos, ubi centenis Parnassia linguis  
 14 antra sonant, ubi Phoebeo correpta furore  
 15 corda calent, ubi Coryciis composita cavernis  
 16 plectra sonant, ubi inhumanos se Cynthius artus  
 17 fundit Apollo pater mortaliaque induit ora.  
 18 Jam meus exurgit facto furor impete et oestro  
 19 enthea Pierios spirant cita pectora cantus.  
 20 Terra tremit mugitque solum, concussa labascunt  
 21 scrinia, Atlantiadae apparent talaria sacri  
 22 et cortina nitet squammis Phoebaea coruscis.  
 23 Tympana rauca sonant, fervent trieterica, circum  
 24 sacra Mimalloneos reboantia cornua bombos  
 25 exagitante mero vaga bassaris inflat hiatu  
 26 contorto, et lyncem flectit malesana corymbis.

27 Hinc sacra veridicis oracla ambagibus alto  
28 emergunt, varia atque ruunt praesagia templo.  
29 Juppiter, omnipotens divum sator atque hominum rex,  
30 qui mare, qui terras, qui sidera numine torquet,  
31 cardine despiciens sublimi atque aethere ab alto  
32 curarum oppressus variarum et mole laborum,  
33 viderat humanum per fasque nefasque relictā  
34 ire genus ratione animi, et virtute repulsa  
35 induere agrestes habitus penitusque volutum  
36 sordibus innumeris variaque ambage per atrum  
37 duci iter, et pronis oculis terrena rebelli  
38 atque animo curare, procul pietate fideque  
39 expulsis : hominum est tanta insatiata cupido.  
40 Condoluit varias trutinans sub pectore curas  
41 quo vertigo poli geminusque revolvitur axis,  
42 quo varias elementa vices retrahuntque trahuntque,  
43 et quo se bene hahent lati moderamina mundi.  
44 Sicque ait : "Humani generis proh quanta libido est  
45 extremas patrare neces manibusque nefandis  
46 divorum tractare aras fastuque sacratos  
47 immenso sperare tholos et caede cruenta  
48 spargere pollutas funesto sanguine terras,  
49 linquere directos calles verosque meatus  
50 permutare ; deum est suprema oblivio, nullus  
51 relligionis amor, sordent altaria nullis  
52 usta focis. Jam tura jacent, jam grandis Erinnyes  
53 regnat, in humanis rabies quoque concita rebus.  
54 Insidiae, arma, doli vivunt. Furor, ira, venenum  
55 et fraudes diraeque neces, vis dira, tumultus.  
56 Foedatur domus hospitio, mea jura cruore  
57 jura madent, hilares nati per fata parentum.  
58 Fraternali strident animi, furit impius ensis  
59 in fratres strictoque horrent connubia ferro,  
60 armaque sunt crudis collecta aconita novercis.  
61 Jam sublime bonum est vitiis ardore profano  
62 commaculare manus et bella horrentia bella  
63 excire : omne genus scelerum qua ambita sonoris  
64 fluctibus horrisono contunditur aequore tellus  
65 extensa radice viget. Jam more ferarum  
66 vivitur et nullo discrimine aperta nocentum  
67 vita hominum est : quondam pluvialibus obruta nimbis  
68 tota luit poenas simili pro crimine tellus."  
69 Non ea nunc animi est sententia, nulla Tonantem  
70 ira agitet, pietas divina remulceat orbem.  
71 Juppiter est homini mitis pater omnibus aequus,  
72 unde hominum plaudente animo frenanda cupido est.  
73 Hactenus ascendit solium summoque repressit  
74 ora supercilio, quo mittere fulmina in imas  
75 dira solet terras tempestatesque cavernis  
76 excire Aeoliis et vasta tonitrua ventis.  
77 Ut solium regale petit sublime removit  
78 terque quaterque caput. Concusso vertice pectus  
79 incutit, unde deum nutu tremuere potenti  
80 tecta, cavernoso perterritus orbis hiatu est.  
81 Non secus ac ruerent axes compage soluta,  
82 aut rueret caeleste solum tonitruque profundo

83 misceret Stygio se Juppiter omnis Averno.  
84 Talia stelligero volventem et longa prementem  
85 pectore consilia, et justis cessantia causis  
86 Caelicolae aspiciunt varioque sedilia motu  
87 sacra replent, tacitoque exspectant ora resolvi  
88 magnanimi Jovis obtutu, quo cardine rerum  
89 machina vertatur, quo se tremor imus ab alto  
90 proferat ; agnovit mentes sensumque labantem  
91 et varios divorum animos, cum Juppiter orsus.  
92 Ab Jove progenies sata caelica et inclyta proles  
93 non vario teneare metu, quod uterque fragore  
94 insonuit polus immenso, quod regia caeli  
95 contremuit tellusque imis commota cavernis  
96 fecit inauditum murmur. Nec credite vastum  
97 Enceladum aut saevas spirare Typhoea flammam.  
98 Est aliud quod corde traham, quod mente revolvam.  
99 Quis melius summo norit Jove fata sororum  
100 fata arcana trium fixisque adamantina rebus ?  
101 Est opus ut sacra nascatur origine vates  
102 carmine qui lepido, cithara fidibusque sonoris  
103 mulceat humanos ad mitia foedera sensus.  
104 Te nisi virgineo decorassem nata decore  
105 prolis eras genetrix facunda Minerva potentis  
106 et melicum aeterno lactasses ubere vatem.  
107 Sed tu, Phoebe, parens nitidissime Phoebe deorum,  
108 vatis eris, lepidum quem vero nomine dices  
109 Orphea. Ne matrem longinquo ex orbe petamus  
110 respicias. Viden errantes in vallibus Haemi  
111 Pieridas quali peragrent loca Thracia passu  
112 Parnassi immemores, nitidae et Permessidos undae ?  
113 Ex te facta parens vatem educet una Sororum  
114 Calliope, et patrias genitum vatem instruat artes.  
115 Sic aeterna jubent fatorum jura : Tonantis  
116 est ea mens, nostrae sic stat sententia menti."  
117 Imperium audierat magni Altitonantis Apollo  
118 aeriasque levi sonitu tranaverat auras.  
119 Fascia demissos circumdabat alba capillos,  
120 aureus est manibus telis fulgentibus arcus  
121 pendentisque humeris gestabant tela pharetrae.  
122 Purpureo fuerant circumdata sura cothurno.  
123 Et venator erat verus, nisi candida cervix  
124 nectareum ambrosiae dulcis spiraret odorem.  
125 Est nemus undantes quod culmine duplicat umbras  
126 illicibus consaeptum altis variisque superbum  
127 arboribus, festas requies gratissima nymphis  
128 cum furit aestivo sol tempore. Cujus amoena  
129 in medio fons lucet aqua gracilique fluore  
130 allicit ad dulces titubantia lumina somnos.  
131 Forte errans chorus Aonidum nemora alta tenebat  
132 diversasque uno jungebat limite voces.  
133 Dumque peragrantes spectat loca amoena Sorores  
134 Phoebus in umbrosum pergat nemus, inde volucris  
135 tergora transadigit velocis hirundine cervi.  
136 Sed leve vulnus erat. Mox cervus in aera saltu  
137 se dedit et tremulo metuebat vulnera passu.  
138 Dum loca cervus adit levis invia, forte Sorores

139 videre Aoniae fugientem et longa rotantem  
 140 cornua ; conclamant omnes, nemora alta sonabant  
 141 vocibus et geminis reboat clamoribus aether.  
 142 Quaeque suum concepit iter. Dextram una tenebat  
 143 nympa viam atque uni potior via visa sinistra est.  
 144 Sed dum laeta sequi properat vestigia cervi  
 145 Calliope qua Phoebus erat (sic fata trahebant)  
 146 sola venit. Venientem adiit. Quo percita viso  
 147 horruit haud noscens venantis pectora fratris.  
 148 Tum sic Phoebus ait : "Trepidum quae causa timoris ?  
 149 Et quae causa metus ? An fratrem ignara recusas  
 150 visere ? Num noscis ? Genitor tuus et meus idem est.  
 151 Siste gradum. Hoc gelido cum fratre recumbe sub antro.  
 152 An mutata tui facies nitidissima fratris ?  
 153 An Phoebum agnoscis ? Nitidi vel Apollinis artus ?  
 154 Mene fugis ? Sic praeteriti reminisceris aevi ?  
 155 Immemor es quoties fueris me experta ? Parentem  
 156 semine te feci nostro : bis Apolline summo  
 157 es genetrix. Hymenaeus ovans est nostra propago.  
 158 Cui lauri laetaeque faces taedaeque jugales,  
 159 vinclaque sunt divo cui connubialia curae.  
 160 Nos Hyalemus habet praestanti aetate parentes."  
 161 Senserat. Obstupuit. Phoebumque amplexa sub antrum  
 162 pergit, ut immensis aestum praeverteret umbris.  
 163 Tum Phoebum reserans fatorum arcana Jovisque  
 164 concubitum petit et Veneris dulcissima dona.  
 165 Annuit. Exacto lascivi Marte duelli  
 166 Phoebus adit sublime jubar qua sidera volvunt.  
 167 Orphea Calliope Phoebus semine cretum  
 168 ter tribus ediderat Parnassia mensibus actis,  
 169 Orpheaque aeterno lactaverat ubere natum.  
 170 Tempora praetereunt tacito pede lubrica ; tandem  
 171 temporibusque ratum est nihil esse fugacius. Infans  
 172 jam puer est. Positis demum puerilibus annis  
 173 fit juvenis. Cujus facies et Apollinis una est,  
 174 cui maternus honos maternaque gratia vultus.  
 175 Hic primum ad superos flexisse negotia cultus  
 176 dicitur et multis cumulasse altaria donis.  
 177 Orpheus ecce licet mediis in vallibus Haemi,  
 178 cruda ubi barbaries et barbarus infremit horror,  
 179 sit natus patriis instructus honoribus omnem  
 180 barbariam expellit cultuque habituque sacerdos  
 181 divinorum operum mysteria sancte volutans.  
 182 Huic rerum natura parens manifesta rotansque  
 183 machina disposito revoluti cardine mundi.  
 184 Mox sacram harmoniam coluit novitque diesim  
 185 ex aliis formare tonis ter senaque justos  
 186 per loca ferre tropos. Scissum vocisque canore  
 187 continuumque genus proferre. Et quod fit in omni  
 188 voce diastema et rythmi speciosior ordo.  
 189 Deinde catenatis torquere sophismata nodis  
 190 norat, et in toto qui sit modus addere partes.  
 191 Rhetorico incubuit studio, argumenta rotabat  
 192 a genere ad speciem. A simili producere nexus,  
 193 a specie, a causis ; ab origine flectere nodos  
 194 scibat et extensis dabat enthymemata rebus.

195 Saepius est mensus spatium telluris et alti  
 196 aequoris aggressus geometra quicquid acuto  
 197 pectore ad occiduas ab eois disserit undas.  
 198 Imparibus didicit numeris formare jugatos  
 199 hinc atque inde pares. Mox signa micantia novit  
 200 zodiaci et quanto fugiant discrimine caeli.  
 201 Quid thesis aut arsis, quae commata quodve per omnes  
 202 metrorum systema vices, quae dupla pedumque  
 203 sit ratio, aut simplex, sesquialtera norat et aequis  
 204 quanta sit adjunctis resolutio quaeque figuris.  
 205 Orphea nec latuit divina poetica donum  
 206 illustrans viventum animas. O munus ab alto  
 207 conspicuum, o cunctis divum aurea gratia saeculis.  
 208 Hujus ope Ismariis accibat marmora campis  
 209 saxaque viva solo rupto convulsa trahebat.  
 210 O quoties celsi mirati carmina montes  
 211 surrexere locis, quoties animalia cantu  
 212 astarunt animi posita feritate, profundi  
 213 repserunt scopuli, quoties nemora alta domusque  
 214 et turre posuere caput, deflexaque retro  
 215 flumina curva dabant ripis mirantibus aures.  
 216 Nec mirum nymphas concurrere ad Orphea, fontes  
 217 cum sua gurgitibus deponant murmura lassis.  
 218 Urbs fuit armigeri quam vero nomine Thraces  
 219 dixerunt zonam, praecinctam moenibus altis,  
 220 gentibus insignem et praeclaram milite forti.  
 221 Hic ager aeriis conterminus aequore lato est  
 222 consitus arboribus variis, ubi perpete cantu  
 223 saepe sacrosanctos divum memorabat amores.  
 224 Auritae ad cantus fagi celsaeque cupressi,  
 225 amnicolae salices ramisque umbrantibus orni  
 226 venerunt recta serie, velut ordine recto  
 227 saltantes mediis buxo modulante choreis.  
 228 Tum coepit mulcere homines et agrestia cultu  
 229 pectora civili seducere iniquaque justis  
 230 coepere obsequiis concedere jura, sub orbe  
 231 Bistonio cecidere animi feritate rigentes.  
 232 Tum qui more ferae rigidis habitabat in antris  
 233 coepit inire domos, atque impia vita repostata est.  
 234 Oppida conduntur sulcisque ingentibus urbes  
 235 signantur, portis stant duro cardine postes.  
 236 Jura tenent tabulae, turrita palatia sanctis  
 237 civibus hospitium. Fit plebs sanguisque creatur  
 238 patricius, tacito fit curia lenta senatu.  
 239 Desiit hinc populis glandes dare turgida quercus,  
 240 et cessit matura Ceres. Jam dulcia Bacchi  
 241 munera laetificant praerepto corpore sensus.  
 242 Sanguinis humani potus cadit, atra cruore  
 243 ora madent nusquam, funesta monilia collo  
 244 barbarico nusquam pendent (mirabile dictu),  
 245 nam prius humana de carne monilia quisque  
 246 fecerat atque humeris dederat pendentia late  
 247 viscera. Si duris intrarat sponsa capillis  
 248 tecta viri humanas retinebat mensa medullas.  
 249 Non ibi concisis fuerant obsonia cervis.  
 250 Non verubus confixus aper, non turdus obeso

251 pectore, nec lati suadebant prandia rhombi,  
 252 sed fuerant ruptis humana cadavera membris.  
 253 O aevum infaustum ! Nec adhuc bene caesa tremendos  
 254 viscere adhuc vivo satiabant membra molares.  
 255 Nunc tamen omne cadit facinus : jam Thracius Orpheus  
 256 flexit ad humanas crudelia prandia mensas.  
 257 Nulla fames senibus conclusis carcere taetro  
 258 tristis obest neque septenis jugulantur in annis  
 259 confecti decies senio, morboque gravati  
 260 viventes nec adhuc canibus lacerantur amaris.  
 261 Si quando extensos aurato pectine nervos  
 262 percuteret, convulsa solo radicibus imis  
 263 robora in astantum coetu mansere virorum.  
 264 Stat lupus inter oves nec ob ora latrantia surgunt  
 265 auriti lepores, comes astat cerva leonum.  
 266 Victa tacet tigris, spummantia temperat ora  
 267 saevus aper curvisque tacet ferus unguibus ursus.  
 268 Non metuunt aquilas timidissima turba columbae.  
 269 Nec cyris patrium meruit foedissima rostrum.  
 270 Si quando ad teretes mens attrahit Orphea nodos  
 271 verborum, conversa hominum fera pectora languent.  
 272 Sentires suadere bonum mortalibus aegris,  
 273 dissuadere malum. Damnare inhonesta nefasque  
 274 et quodcumque feris vates bacchantur iambis.  
 275 Discite mortales : mortale heu qualibus aevum  
 276 cladibus oppressum est, quanta vertigine, quove  
 277 volvatur casu. Veniunt obeuntque fugaces  
 278 annorum series, certissima tempora fati.  
 279 Hora tamen necis incerta est. Infausta remordent  
 280 Tartara. Difugiunt veneres, convivium, lusus.  
 281 Sint curae divorum arae. Rapit ira Tonantem  
 282 quandoque et superos rapit inclementia sensus.  
 283 Ad vatem accurrunt Thraces : it fama per orbem  
 284 Orphea abactarum miracula nescia rerum  
 285 concinnis aperire modis, aperire futura,  
 286 dicere praeterita et praesentia cuncta tueri.  
 287 Omnia diversis vicibus docet inde moveri.  
 288 Et stare Ortygien, quae quondam nabat in undis.  
 289 Edocet instabiles Symplegades, edocet ursos  
 290 oriri informes et apes ex vermibus, anguem  
 291 ex hominis spina, et quali ratione peremptis  
 292 ex vitulis nascantur apes, et corpore equino  
 293 crabrones dirisque cava tellure sepulto  
 294 scorpius ex cancro, quo sese eformet in ipsum  
 295 praesidio phoenix, varium quid hyaena reponat  
 296 dirum animal sexum, cur lyncum urina lapillos  
 297 vertitur in duros, cum protinus aere tacta est.  
 298 Saepius in Rhodopes nemoroso in culmine sistens  
 299 cognitione polos tacita spectabat apertos,  
 300 vestigans quae forma poli, quo numine caelum  
 301 vertatur, qua lege suum vaga sidera lumen  
 302 componant, utrum caelum sine fine recurvum  
 303 et sine principio factum, caelestibus utrum  
 304 sedibus humanas curet pater omnipotens res.  
 305 Quaerit et an motor recto moderamine primus  
 306 cuncta elementa regat. Si quo discrimine tellus

307 distet aquis, et aquae rationibus aere summo  
 308 convenient justis. An si praelucidus aether  
 309 sentiat ambitae deformia pondera terrae,  
 310 an totidem tellure plagae videantur in ima  
 311 quot Zona caeleste solo superoque recessu.  
 312 Si quid et ex nihilo fieri conceditur et si  
 313 mollia se duris socient calidisque jugentur  
 314 frigida, et an liquidis concordent crassa sub uno  
 315 corpore et an crassis socientur liquida rebus.  
 316 Pondus et an levibus concordet rebus onustum,  
 317 humida vel siccis. Modo vestigabat an orbis  
 318 unicus esset et an finitus. An Aetna cavernis  
 319 exspiret flammam mons naturalibus et quo  
 320 fulmina conceptu veniant, quo turbine venti  
 321 aera perturbent : et qualis origo ruentis  
 322 grandinis et qualis nivibus sit origo geluque.  
 323 Cur Lycus emergat cum terrae absorptus hiatu est.  
 324 Sic Erasinus. Iter varium cur unda Cayci  
 325 quaerat. Cur Siculis ingens Amasenus in oris  
 326 nunc fluat et siccis quandoque arescat arenis.  
 327 Scit quid Anigrus aquis nocuis labatur et inde  
 328 cur Hypanis salibus flumen vitietur amaris.  
 329 Accendant Athamantis aquae cur ligna trabesque,  
 330 Cynthia cum minuit sua cornua. Fluminis imam  
 331 naturam patrii cur saxea tacta figuret  
 332 noscit. Cur Crathis Sybarisque uberrimus, ambo  
 333 contactos reddant similes per saecula capillos.  
 334 Dat causas quare enervet fons Salmacis, aut quid  
 335 Clitorii qui potet aquas abstemius erret.  
 336 Aethiopumque lacus cur unda epota furentes  
 337 efficit, aut quare Lyncestae fluminis undas  
 338 si quis ad os moveat titubet ceu vina bibisset.  
 339 Cur et aquae in puteis tepidae sint, flumine et alto  
 340 mensibus hibernis, cur frigida fontibus unda  
 341 tempore in aestivo, cur salsus in aequore fluctus.  
 342 Quid veniat viso flagranti crine cometae.  
 343 Qua veniat lunae defectus origine, Titan  
 344 quove modo furvae possit succurrere lunae.  
 345 Applicat inde animum ad praesagia vera. Volucrum  
 346 missarum cantus noscit divinitus, unde  
 347 Orphea primaevum augurii dixere parentem.  
 348 Somnia declarat portentaque saeva procurat,  
 349 sulfureis lustrat taedis quodcumque cruentum est,  
 350 atque udam laurum accendit si forte piandum  
 351 est aliquid salsisque lavat foeda omnia lymphis.  
 352 Heu mirum in fati videt Orpheus affore tempus  
 353 venturumque aevum. Quo sidera, pontus et aether,  
 354 flumina, stagna, lacus, silvae, nemora alta domusque  
 355 totaque combusti conflagret machina mundi.  
 356 O genus humanum ! O mortalia caeca tenebris  
 357 pectora Cimmeriis ! Omnes uno ore fatentur  
 358 depopulanda feris cuncta ignibus, omnia vastis  
 359 flammarumque globis vastanda. Extollite vultus  
 360 ad superos, pronis terrena relinquitur curis.  
 361 Disserit esse locos ubi fortunata morentur  
 362 corpora, et exclamat sceleratos este penates

363 in quibus infidos vexent crudelia passim  
364 verbera et horrores, incendia, vulnera, flammae,  
365 qui simulac patrio cantavit in orbe futuris  
366 temporibus miranda Deum decreta, feroces  
367 utque viros docuit venerari altaria divum  
368 aequalesque diem totum distinguere in horas  
369 composuitque suis cives in moenibus omnes  
370 legibus. Instituit vates spectare profundos  
371 ossa tuos colles et culmina montis Olympi.  
372 Strymonis ecce undae apparent conamine longo  
373 saxa revolventes lato cum murmure. Tranat  
374 Strymona, et Aemoniis tandem celer astitit oris.  
375 Jam longum dimensus iter, cum Thessala vastos  
376 ostendit montes regio ; jam auditur amoeno  
377 gurgite Sperchius lenisque Amphrysus et Aeas.  
378 Hinc Larissa suis consurgit moenibus, illinc  
379 Pella patet caelumque suo cum vertice Pindus  
380 percutiens, surgit vicinus Pelion Ossae  
381 ostendens summo pineta cacumine. Vates  
382 hic didicit qualis gemebunda goetia foedos  
383 daemona adstringat qualique infirmior esca  
384 pharmacia emergat. Mox quae praesagia diris  
385 sortibus addantur. Quid somnia nocte futuri  
386 protendant moresque hominum cognoscit ab ore.  
387 Linea quid manuum sibi praeferat et quid arenae  
388 aut terra assignent, vel qui descriptus in arvo est  
389 pulvis. Aquae motu praesagia carpit et ignem  
390 rimatur puerisque capit miranda peremptis  
391 prodigia et speculo noscit ventura micanti  
392 devinctis oculis, quantaeve securibus artes.  
393 Noverat ex pelvi. Didicit cognoscere lympha  
394 dante sonum, an dirus promiserit omina daemon.  
395 Herbarum hic varias vires scrutatur et aere  
396 vellit et in cumulum diversas cogit in unum.  
397 Hic magicis didicit vates ambagibus uti,  
398 et didicit tacito producere verba susurro.  
399 Nocte genu flexo noctem noctisque fatigat  
400 voce deos privatque deis Erebumque Chaumque,  
401 tergeminaeque Hecates multis ululatibus imam  
402 poscit opem, longis centenaque numina verbis.  
403 Et modo convulsis radicibus alta trahebat  
404 robora et antiquas convulso robore quercus.  
405 Et quandoque jubet montana tremiscere cantu  
406 culmina et erectos se in vallem effundere colles.  
407 Sistit aquas retroque premit deflexa reverti  
408 flumina, et aversis fontes perquirere ripis.  
409 Obnubit solare jubar, despumat ab alto  
410 lunares habitus, et fulgida sidera fuscant.  
411 Solem inhibet retinetque diem, noctemque fatigat,  
412 et facit adducta mirari nocte Britannos.  
413 Comprimit extremis manes exire sepulchris  
414 et cogit Stygii reserare arcana Tonantis.  
415 Infernis dat lumen aquis caelumque serenis  
416 sideribus spoliat, corruptae machina retro  
417 vertitur et dubiis concursant motibus axes.  
418 Carceribus clausis nodosaque vincula rumpit.



419 Vipereas frangit verbis et carmine fauces.  
 420 Humanosque habitus animalia in atra figurat.  
 421 In campum alterius conjectaque semina jactat.  
 422 Nubila conducit caelo tenebrosa sereno  
 423 fuscatoque trahit solaria lumina curru.  
 424 Ventorumque iras abigit ventisque vocatis  
 425 elicit, elato spumantia murmura ponto.  
 426 Aere laboranti noctu succurrit opaca  
 427 luna tibi et magicae rumpit cantamina lingua,  
 428 atque uteros sistit digitorum pectine juncto.  
 429 Hoc nolente suos non percipit uva colores  
 430 pampineaque nequit vitis splendescere gemma.  
 431 Humida decussis campo seges aret aristis.  
 432 Poma cadunt, media volitant aestate tremendo  
 433 congestae stridore nives. Hiemalibus aestus  
 434 mensibus exoritur camposque exurit apertos.  
 435 Autumnus sub vere jacet verisque lepores  
 436 autumnos eveniunt. Et quid si ambagibus ipse  
 437 utar erit nullis? Hic marmora cogit aperto  
 438 ore loqui et veras scopulos emittere voces  
 439 cereaque impulsas diffundit imago querelas,  
 440 si longa constringit acu. Modo gesta lacerto est  
 441 plumbea litterulis ignotis lamina dextro.  
 442 Sique trucidati servato arcana cruore  
 443 sacra facit, juncto fontano rore, bovisque  
 444 lacte, subimpositis suspensi ex gutture clavis,  
 445 aversos juvenum per corda accendit amores.  
 446 Quid referam? Edidicit mysteria vana Necepsi  
 447 et quorum fuerat magnus praeceptor Agonax.  
 448 Et quicquid monuit Petosiris, et ille magorum  
 449 maximus Assyriis quicquid patefecit in agris.  
 450 Insuper Eoa auctos regione lapillos  
 451 noscit et oceani validas stagnantis arenas.  
 452 Si quando infames miscet cantamine succos  
 453 injicit antiqui cervi jecur, insuper alas  
 454 infandae cum carne strigis coriumque chelydri  
 455 squamosum Libyci, et cornicis rostra caputque  
 456 quae centum novies aetatis viderit annos.  
 457 Nec desunt conjecta lupi praecordia saepe  
 458 induti humanos vultus iterumque ferinos.  
 459 Ut satis ad magicas animum Rhodopeius artes  
 460 apposuit, Graiis statuit considerare terris.  
 461 Unde tot emergunt sapientes, unde tot alta  
 462 ingenia, et summis prudentia summa triumphis.  
 463 Praeceptore Lino postquam melos hausit amicum  
 464 venerat armigerae surgunt ubi Pallados arces  
 465 intrat Athenarum portas templumque Minervae  
 466 ingreditur praedives opum. Videt ordine miro  
 467 Pallada, Neptunumque alto sub iudice pictis  
 468 in tabulis. Quatit emisso subjecta tridenti  
 469 litora Neptunus, quadrupes caput exerit ingens.  
 470 Cuspide Pallas humum quassat teloque trementi  
 471 icta humus excelsam penitus sortitur olivam.  
 472 Graecorum hic praecepta capit facilius labore  
 473 quicquid habent Graii de religione deorum  
 474 imbibit, et didicit Semelem formidine mira

475 exstinxisse Jovem ; mox Bacchum matre perempta  
476 inseruisse sacro femori. Acrisiumque superbum  
477 clausisse aeratae Danaen munimine turris.  
478 Herculis agnoscit patriam noscitque labores  
479 immensos jussumque virum tot adire labores.  
480 Rege Mycenaeo tot adire pericula Thebas  
481 suspicit et laudum magnarum carmine donat.  
482 Interea armipotens Pelia stimulatus Iason  
483 confisus propriis virtutibus arma pararat  
484 atque ratem, ut fulvo poteretur vellere Phryxi.  
485 Fama volat qua terra feris regnatur Achivis,  
486 venturum armato cum milite Jasona Colchos.  
487 Unde alacer Graia vates regione relicta,  
488 destinat ingentes. Caenosi Phasidos undas  
489 visere et aeripedes prope fulgida vellera tauros,  
490 insomnemque truci obtutu spectare draconem.  
491 Jamque Argos sulcabat aquas pelagoque tument  
492 errabat, vatem cum sic affatur Iason.  
493 Orpheu progenies Lycii pulcherrima Phoebi  
494 subtristes viden heroas ? Cum magnus ab Argo  
495 Amphitryoniades descenderit ustus amore  
496 tela gerentis Hylae. Scis quo clamore resultent  
497 litora Hylan puerum : scis quo stridore per altos  
498 nomen Hylae resonet montes silvasque per omnes.  
499 Amphitryoniades, inquam, quem frater amoenos  
500 edocuit cantus et caelifer arduus Atlas.  
501 Incipe si quid habes. Graias jam fama per urbes  
502 te silvas motare lyra montesque trabesque  
503 cire cheli. Hoc viden ut pelago nater Argos aperto ?  
504 Pertaesum est omnes pelagi ; jam navita Tiphys  
505 deposuit lassos aestu fervente lacertos.  
506 Si canis, hinc aberunt haec taedia longa, parabat  
507 tollere mellifluos pacata per aequora cantus,  
508 cum vatem alloquitur residens prope Castora Pollux.  
509 Dic age, nate dea, quis divum haec aurea conchae  
510 dona tulit, Cytheramque sacras invenit ad artes.  
511 Omnibus annueris, nec te labor iste gravabit.  
512 Tum Rhodopes magnus vates Haemique nivalis  
513 componens diva ora, manu nervumque repulsans  
514 sic ait : "Heroes, vestrum explore quod uno  
515 optetis studio : mihi jussa capescere fas est.  
516 Incipiam, et nostrum trahet hic exordia carmen.  
517 Deucalioneis cum fluctibus obruta tellus  
518 coepit ab aequoreo penitus deserta fragore  
519 frondosum monstrare caput, cum montibus altis  
520 defluerent vasti declivo turbine fontes,  
521 tum fuerant cunctis dispersa silentia terris.  
522 Conticet omnis ager, volucrum nec voce sonabant  
523 et nemora et frondes, jam nulla animalia longos  
524 mugitus demissa dabant ; tum curia in imas  
525 divorum terras caelo descendit ab alto.  
526 Cumque suos nili peteret gravis unda meatus  
527 deseruit variis animalia multa figuris.  
528 Forte videt concham testudinis arva peragrans  
529 magnus Atlantiades radiis solaribus ustae ;  
530 quam simulacprehendit, digito percussit, et illa

531 edidit ignavum sonitum nervisque recussis  
 532 coepit inornato producere murmura bombo.  
 533 At deus harmoniae cultor, cui jussa Tonantis  
 534 contigit exigere adjuncto moderamine concham  
 535 aptat et appositis crepitarunt plectra susurris.  
 536 Inventum persaepe suum Talariger ales  
 537 ostendit superis divinaque pectora mulcet.  
 538 Quae satis ut placuit facta est chelys aurea, Phoebo  
 539 quam dono dedit Altisonans in pignus amoris  
 540 Mercurius. Mox ipse pater me donat honoro  
 541 munere, cujus aves alto cio ab aethere pulsu :  
 542 et moveo silvas obliquaque flumina sisto."  
 543 Talibus atque aliis longum breve cantibus actum  
 544 est iter, et tandem Colchos adit acer Iason.

## JO. FRANCISCI QUINTIANI STOAE POETAE LAUREATI

### ORPHEOS LIBER SECUNDUS.

O\_II v.1 Venerat Aurati victor Pagasaeus Iason  
 2 velleris et patrias sanctissima vota per aras  
 3 solverat et juvenem maga fecerat Aesona conjux  
 4 Aesonidae Medea senem, Peliaque perempto  
 5 fugerat irarum stimulos, cum Thracius heros  
 6 Graiorum populos Lacedaemoniosque penates  
 7 constituit spectare iterum. Jam liquerat orbem  
 8 Haemonium Actaeasque iterum se contulit urbes.  
 9 Numina Palladias venerari hortator Athenas,  
 10 et varia instituit mysteria sancta Lycaeo.  
 11 Inde feri in luco sacrata altaria Martis  
 12 construit, et tacito suadet dare jura labello.  
 13 Ingreditur Sparten, olim domus alta Lycurgi  
 14 quae fuit, et rigidas servavit in ordine leges.  
 15 Suscipit hospitio Sparte fidissima vatem  
 16 et vario externum decoravit honore. Videndum est  
 17 aurea quid prosint virtutum praemia. Virtus  
 18 erigit omnipotens quaecumque elapsa, domabit  
 19 marmora, praeruptas alpes. Qua fronte Lacaeni  
 20 Orphea suscipiunt. Graecis num barbarus heros  
 21 posset habere locum pulsa virtute sub oris ?  
 22 Non procul hinc surgunt Thebae moenia gentis,  
 23 quae quondam Amphion lepido testudinis ictu  
 24 condidit, immensas blando cum carmine moles  
 25 duceret et fidibus traheret cum saxa canoris.

26 Orphea blandiloquum Thebae dignantur amico  
27 hospitio, unde deum Dictaea per arva domosque  
28 religio emersit vario collecta sub orbe.  
29 Dumque peragraret Boeotia rura sacratos  
30 viderat adjungens nervis sua carmina fontes  
31 dulcicanens maternus ubi chorus emicat ; altum  
32 dehinc montem duplici surgentem vertice ad astra  
33 conscendens quem fecit equi videt ungula fontem.  
34 Gramineo cujus residens in margine versis  
35 in fluctus oculis vitreos sic talibus orsus.  
36 "Fons sacer, o claris dulcissima vatibus unda  
37 Pegaseo prognata pede : o divina Sororum  
38 potio, Calliopesque meae sine fine parentis  
39 grata quies facili defraudans lumina somno.  
40 Te pater ipse colit, tu reddis opima virorum  
41 ingenia, ignavos pellis de pectore sensus.  
42 Te stimulante furens mortalia spiritus ora  
43 adjuvat, aeternum spirans per carmina numen.  
44 Non tibi caenosis obstant cava flumina longis  
45 vorticibus, vel nulla vadis contaminat atris  
46 alta palus, nitida semper cum laberis unda.  
47 O Parnasse biceps, cujus per culmina vexit  
48 Deucalion metuens vasti maris aequora cymbam.  
49 Tu dulce hospitium Pyrrhae, tu tecta propagi  
50 extremae, te sancta Themis sua templa recludens  
51 omnia delegit variarum oracula rerum."  
52 Talia dicentem, sublimi ac voce canentem  
53 spectabant conversae undae deflexaque montis  
54 culmina, cum audito modulanti vate Sorores  
55 venerunt, roseo quarum pulcherrima vultu  
56 Calliope Ismariae cognovit murmura conchae.  
57 Viderat has vates, cum surgens vertice flexo  
58 numina adoravit matricum innixus adhaesit,  
59 atque ait : "Alma parens, salve. Salvete faventes  
60 o Musae, et vestrum dignemini amare nepotem.  
61 Salvete, o nymphae, quibus est concessa facultas  
62 conciliare animos vatium vatesque triumphis  
63 condecorare sacris hederaeque ornare sequaci.  
64 Ab Jove principium vestrum est et ab aethere summo,  
65 quarum ope in aërios humana potentia calles  
66 scandit, et ardenti caelestia sidera cursu.  
67 Omne bonum quodcumque homini est, datis omne, superbo  
68 dicere gesta deum conceditis ora cothurno.  
69 Incoeptis datis auxilium, atque incoepta verendo  
70 numine perficitis, septem discrimina vocum  
71 colligitis, vestra est prudentia sancta, tot artes  
72 quae invenit solidas, vestro sub jure rotantur  
73 sidera et intento volvit se machina nutu.  
74 Omne nefas vestro meritis sub numine poenas  
75 perpetitur dirus sic concidit arce Pyreneus  
76 olim ausus vim inferre acri percussus amore.  
77 Vix ea percussis dictarat carmina nervis,  
78 Orphea cum nymphae studiis ardentibus omnes  
79 jussere, ut divum caneret ferventibus hymnos  
80 vocibus et demum quaecumque inventa decoro  
81 psalleret (ah quanta est fiducia vatis) hiatu

82 Thracius erubuit. Clio tum prima sedile  
83 concinnum apposuit vati ; mox laeta caterva  
84 sedit et exculpto pendebat ab Orpheos ore,  
85 non secus omnipotens cum Juppiter ora resolvit.  
86 Astant caelicolae intenti quae fulminiger rex  
87 praecipiat superaerque velit sententia mentis.  
88 Qui simulac viridi consedit caespite recto  
89 in caelum orditus sublimia carmina vultu est.  
90 Juppiter omniparens cujus sine numine sancto  
91 principium nullum est, quo concedente reformat  
92 perpetuo natura vices. Tu numina mundi  
93 suggeris et quicquid praelucidus educat aether.  
94 Parrhasiis genitum te jactant Arcades olim  
95 montibus atque suum mendax te jactat alumnum  
96 Dictaeus, struxitque tibi, pater alme, sepulcrum,  
97 explodenda palam mendacia. Nanque supremo  
98 non moreris fato, sed semper in arce perennis  
99 aetherea. Ambages caelorum vertis et astra  
100 atque elementa regis. Tu solus in aere terras  
101 respicis, et tumidi pacas saeva aequora ponti.  
102 Juppiter es quodcumque venit, quodcumque recedit.  
103 Nil sine te magni est, sine te concordia cessant  
104 foedera : tu litus Phoebi moderaris utrumque.  
105 Cuncta regis solusque reples, et cuncta gubernas  
106 aequali sine fine manu justaque rependis  
107 omnia lance pater : tu Juppiter omnibus idem es.  
108 Salve, dive parens, rerum cui summa potestas.  
109 Salve, sancte pater divum, via aperta salutis,  
110 te suadente, orbi pateat. Concede salubres  
111 hinc aditus, concede piam post fata quietem.  
112 Tene Minerva Jovis taceam sanctissima proles  
113 innuptam, et cristis hastaque tremante potentem.  
114 Tu pacis bellique potens. Sapientia rebus  
115 adversis, tu, dulce sophos, pallanta ferocem  
116 Marte giganteo perimis, cuncta acta reducis  
117 mente docens firma praesentia gnara futuri.  
118 Oppida prima tuo conduntur numine, Athenas  
119 protegis, et crudum fers aegida cruda virago.  
120 Salve creta tui quassa cervice parentis :  
121 erige mortales animos hebetemque lubenti  
122 officio virtutem acue illustremque tenebris  
123 fac sensum expulsis radianti lumine pastim.  
124 Salvete aeterno Junonis numina saeclo,  
125 quae Samon et placidis annutibus aspicit Argos.  
126 Haec soror, et conjux Jovis, et regina deorum  
127 vecta polo audenti currum subeunte leone.  
128 Hujus in arbitrio taedae nexusque jugales,  
129 unde jugam dixere patres. Quae nomine vero  
130 zygia nunc fertur miseris mortalibus adsint  
131 numina et humanum foveant Junonia regnum.  
132 Qualibus alma Venus decorem te cantibus, albae  
133 quae veheris tergo per cypria rura columbae ?  
134 Quid sine te lepidi ? Quid amoeni ? O aurea lampas  
135 quae chaos illustras aeternaerque lumina reddis.  
136 Tu dirimis pugnas lascivaerque membra cubili  
137 componis, tu das meritis opulescere amorum.

138 Te suadente cadunt irae et Mavortis acerbi  
139 proelia, et ardentem animo stridente tumultus.  
140 Salve, progenies summi maris, alta Cythera  
141 quae colis, et blando jungis foedera nexu.  
142 Da Venus auxilium. Nigra discute tempora, ut alto  
143 ipse tuo possim votis consistere templo.  
144 Vos, Charites, sileam ? Parilique aetate sorores  
145 officii memores ? Quarum praesignis imago  
146 antea caput ostendat duplicique refulget  
147 a tergo facie. O Charites, salvete, meumque  
148 tollite mentis iter pigrosque repellite somnos.  
149 Insereris nostro cantu pharetrate Cupido  
150 numina terrificans infernaque regna trucidans  
151 cuncta domas, profersque tuum stridentibus alis  
152 imperium. Arcano tu connubialia jura  
153 vertis adulterio et praerepta cubilia rumpis.  
154 Huc ades humanae affectus miseratus opacos  
155 mentis et a diro mea protege tempora Marte.  
156 Cynthia virgineo emergis celebranda pudore,  
157 cui Venus hostis obest, quae virginitatis amore  
158 non passa es vetitos spectare Actaeona vultus.  
159 Tu jaculo Eurotae curvis animalia ripis  
160 trajicis et flexo figis praecordia telo.  
161 Virgo potens nemorum et silvarum immensa potestas  
162 te nymphae venerantur Oreades, aurea vestis  
163 te circumflexo decorans volat aere limbo.  
164 Diva laborantes partu erumpente puellas  
165 tristi adimis fato precibusque vocata salubri  
166 annuis auxilio. Salve Latonia proles  
167 tergemina et nostris adsis pia Cynthia votis.  
168 Quid, Saturne, tuam profers, pater optime, falcem  
169 cuncta vorans ? Jovis aeterni te fama parentem  
170 commemorat. Cujus fuit aurea vita, propages  
171 cum nondum sineret cogi sua regna veterno.  
172 Sub te nullus amor ditionis, nulla cupido  
173 regnandi, et nullae per lurida vulnera mortes.  
174 Semina tunc tellus per se dabat omnia, quercus  
175 mella dabant potusque fuit tum lacteus undis.  
176 Antra domus fuerant. Sub te, Saturne, beatum  
177 tempus erat, felix demptis et honoribus aevum.  
178 Adsis, o Saturne, libens, odia aspera nostris  
179 sint procul hospitibus tuaque ira sit hostibus hostis.  
180 Mars crudelis, habe mea carmina : terra furentem  
181 te colit Ismaria et nitidus qua confluit Hebrus  
182 templa tenes vastis miscens fera proelia campis.  
183 Ensis inest manibus cassisque aerata tremendo  
184 vertice fulmineas monstrat penes agmina cristas.  
185 Aere discordes animos inimicaque castra  
186 irritas mediasque quatis clamore phalanges.  
187 Mars gradive pater, faveas : succurre catervis  
188 supplicibus properaque dolos praevertere inultos.  
189 Ecquid Atlantiadae tua contrahis ora ? Timebas  
190 ne tua ab Orpheo canerentur nomina cantu ?  
191 Tu divum interpres pedibus talaria nectens  
192 jussa Jovis geris empyreo delapsus Olympo.  
193 Tu citharam efformas, pulchrae tibi copia linguae

194 servit et affectus facundia grata decori.  
195 Moribus agrestes populos civilibus olim  
196 ornasti ingeniumque tuum commenta notarunt.  
197 Te colit in Graia nitidissima turba palestra,  
198 te mercator agit votis, tua virga soporem  
199 allicit insomnesque premit. Tua virga silentes  
200 condemnat vel aquis ciet infernalibus umbras.  
201 Salve, progenies Maiaae, rege nostra peremptor  
202 commoda Arestoridae : gravibus lenimina morbis  
203 affer et in dubiis des firma repagula rebus.  
204 Sylvarum jam Pana deum mea carmina dignis  
205 dicite numinibus, cujus per pectora fulgent  
206 sidera, cervici sunt cornua et ungula caprae  
207 est pedibus, varia cujus sub imagine formas  
208 demonstrat natura suas. Hic ausus amorem  
209 irritare deum quondam Syringa fugacem est  
210 ad Ladonis aquas stimulante ardore secutus,  
211 ex quo disparibus confecta est fistula cannis.  
212 Pan adsit divum summus pater. Horrida suetus  
213 Maenala et Arcadiae saevas habitare latebras.  
214 Praecipuam condonet opem molesque caducas  
215 avertat dirumque annis volventibus aevum.  
216 An taceam te, Phoebe pater ? Quo carmina nervis  
217 concordant, quo dante suo medicina decori est.  
218 Nostra quatit tremor ossa. Vagus jam spiritus errat  
219 qua mea Pierio saliunt praecordia pulsu.  
220 Jamque mihi majore sono dicendus Apollo est,  
221 qui solet Aonio quater enthea membra furore.  
222 Este procul, procul este hebetes, procul este profani  
223 mortales animos cum numen Apollinis intrat.  
224 Sancte pater, nitidis qui vultibus omnia lustras  
225 et radiis totum mulces fulgentibus orbem,  
226 tu longum metiris iter, tu solus oberras  
227 per varia ignivomo caelestia sidera curru.  
228 Quid memorem auratis caesum Pythona sagittis,  
229 cujus inoptatas promebant ora tenebras.  
230 Aere te supero Niobes indigna propago  
231 sensit, et aeternam vidit per vulnera mortem.  
232 Te Claros, te Tenedos venerantur : et alta tuorum  
233 regia sacrorum nomen Patarea celebrat.  
234 Transeo quae celebrent divina oracula Delphi  
235 in medio orbe siti. Per te caligine pulsa  
236 auratum emittit caelum jubar, astra refulgent.  
237 Hic adsis, Tymbraee pater, da munera vocis,  
238 atque sacrosancto mea numine pectora comple.  
239 Luna sui accelerat vestigia tangere fratris,  
240 quae noctem umbrosis rapit immaculata tenebris.  
241 Haec quandoque suum disjunctis cornibus orbem  
242 corrumpit, quandoque suos se efformat in orbem.  
243 Numen ob hoc nostris procul omina tristia saeculis  
244 divertat, minus et clades minitetur et iras.  
245 Te mea, Bacche, sonet lyra munere cujus opimum  
246 exortum de vite merum est. Tu Penthea dirum  
247 mactasti et rigidum praeciso crure Lycurgum.  
248 Per te terrigenum fusa agmina saeva Gigantum,  
249 per te caeruleis quondam mare nauta peragrans

250 insultat delphinus aquis. Te maenades acri  
251 crinibus effusis passim venerantur hiatu.  
252 Evohe digna tuis concedas carmina vati  
253 numinibus lenemque move penes Orphea thyrsum.  
254 Alma Ceres Siculis properat sanctissima campis,  
255 quae glandem pingui quondam mutavit arista.  
256 Huc turrita parens divum, veneranda Cybelle,  
257 flectit iter duplici juncto ad juga saeva leone.  
258 Quid memorem ? Nostris sunt omnia condita in hymnis  
259 divorum, releget quos non temeranda vetustis  
260 posteritas (sic nostra canunt praesagia) saeculis.  
261 Vertitur ad vestras tandem chelys aurea laudes.  
262 Tu, divina parens, heroica carmina libris  
263 mandas altisonoque canis fera bella cothurno.  
264 Praeteritas canis historias, Clio inclyta, et omnes  
265 concipis annales transactaque tempora reddis.  
266 Per te Melpomene tragico funesta boatu  
267 gesta sonant variaequae ardent per vulnera mortes.  
268 Diva Thalia alacri percurris pulpita socco  
269 comica lascivis deducens carmina verbis.  
270 Dulciloquos inflat calamos prudentia sanctae  
271 Euterpes, lepido plaudit cum tibia cantu.  
272 Terpsichore affectum cithara modulante animumque  
273 emovet, extollit, premit, imperat, urget et angit.  
274 Lascivis Erato plectris pede lumine gestu  
275 saltat, et immiscet revolutas arte choreas.  
276 Nobilis Uraniae caelestia lumina vultu  
277 erecto et claras prospectat in aethere lucas.  
278 Rhetoricos experta micans Polyhymnia gestus  
279 liberat, aut suadet, vel iudicis ora fatigat.  
280 Tum vatem complexae omnes venerantur et ipsam  
281 Calliopen variisque canunt concentibus omnes.  
282 Transierat non multa dies, cum Thracius Orpheus  
283 audiit immensam famam nomenque sacrorum  
284 Aegypti et totum miracula nota per orbem  
285 diva sacerdotum. Qua se septemfluus alti  
286 nilus aquis miscet magno cum murmure ponti.  
287 Qua surdat vicina sono nilumque fluentem  
288 qua populis audire data est nec copia. Vates  
289 destinat Aegyptum petere et Nilotica regna,  
290 et Pharios spectare locos atque arva Canopi.  
291 Sed prius Ammonis templum : et praesagia longis  
292 cornibus instituit, Libyaequae extrema tueri.  
293 Liquerat Actaeos colles longumque Aracynthi  
294 et sublime jugum. Multo post tempore tandem  
295 intrat arenosam Libyen, ubi torrida semper  
296 ardet humus, siccis ubi terra exaestuat undis.  
297 Hic regnum Garamantes habent. Jam surgit opimum  
298 templum Ammonis ubi divina oracla resultant  
299 cornigeri et veras promittunt cornua voces.  
300 Fons prope divinus fulget nitidissimus undis,  
301 quem pater omnipotens olim monstravit Iaccho  
302 diversorum hominum gravidum cum duceret agmen.  
303 Dumque propinquaret templo testudinis ictu  
304 turba sacerdotum audito fluitantibus illi  
305 vestibis occurrunt. Patuere ingentia cantu



306 limina et ingenti sonuerunt saxa fragore.  
307 Ingreditur vates variis ubi vocibus Ammon  
308 corniger emugit falsis vera omnia miscens.  
309 Ut stetit ante aras elatis cornibus infit  
310 Juppiter : "O vatum vates dignissime morti  
311 succumbes vivesque iterem, mox taetra revises  
312 Tartara et infernos tandem petet umbra penates."  
313 Ecce sacerdotum stupuit chorus ; inde salutant  
314 Orphea et arcani dignantur munere templi.  
315 Cognita Pangaei tum vatis opinio et almam  
316 coepere eformare animam ; Thrax imbibit heros  
317 qualibus utantur secreto adfamine votis.  
318 Hinc abiens properabit iter quod prima voluntas  
319 persuadebat. Aquas nili ut conspexit et arva  
320 hospitia alma deum celeri vestigia passu  
321 movit et Inachidos sanctissima templa subivit.  
322 Custodes sensere virum, quibus ipse monendum  
323 se dedit et minimo didicit post tempore quali  
324 mystica linigerae celebrentur sacra juvencae.  
325 Qua deus excolitur latrator imagine Anubis  
326 et quibus in templo celebretur cantibus Apis.  
327 Sacraque Bubastis, quondam et clamantis Osiris.  
328 Et quare Harpocrates digito premat indice voces,  
329 suadeat et pressis servanda silentia labris.  
330 Hic videt imponi ferali more trientem  
331 defunctorum ori infausto. Videt inde jugali  
332 ire sacerdotes semel ad connubia vinclo.  
333 Mox fixas novit leges, quibus ora trucidant  
334 perjura et turpi viventia corpora questu.  
335 Proh scelus extremum Venere instituyente pudorem  
336 virgineum amittunt per saecula cuncta puellae ?  
337 Edidicit quae poena patrum si forte necassent  
338 progeniem et quali plectantur morte parentum  
339 qui sua funesto macularint membra cruore.  
340 Cercopithece, tuam effigiem piscesque marinos  
341 vidit in excultis templis raucique decoras  
342 anseris alarum pennas, simulacra canumque  
343 portentorum aras coluit. Crocodilon honoro  
344 vertice praeteriit crepitantique ibida rostro.  
345 Quo jure admonitus faba, caseus, alia, caepae,  
346 sint vetita in Phariis hortensia numina mensis.  
347 Cur Pelusiaca sprete est quoque copia lentis.  
348 Prospicit infantum impensas, nam impensa parentum  
349 est minima, infantes cum pascant caule palustri.  
350 Naturam undantis Nili scrutatur et altum  
351 miratur puteum, cujus lapis integer orbem  
352 efficit, et Nili cuncta excrementa fatetur.  
353 Cognita Bistonio vati sententia rerum est  
354 abdita imaginibus variis. In imagine novit  
355 rem cito confectam accipitris, quod saeva volucres  
356 haec avis exsuperat penna stridente volatu.  
357 Utque oculum vidit servandam mente volutat  
358 justitiam, et recto trutinandam examine mentem.  
359 Ut vultus, crocodile, tuos conspexit iniquum  
360 est ratus esse malum. Manus ut quoque visa sinistra est  
361 compressis digitis, vitam est meditatus avaram.

362 Ut passis dextram digitis prospexit in imo  
 363 uberiolem animum versavit pectore. Adivit  
 364 moenia qua extollit centum urbs clarissima portis.  
 365 Et Meroes conspexit aquas Nilumque sonantem  
 366 auribus extimuit clausis. Apparuit inde  
 367 delta locus septemque alti procul ostia Nili.  
 368 Et panem ex loto miratur et ordea dulcem  
 369 mutata in potum, atque olei vice gignere plantam  
 370 praepingues succos, constructaque tecta vetustis  
 371 cernit harundinibus, memorandaque moenia solis,  
 372 altaque culminibus Memphitica tecta superbis.  
 373 Miratur pueros circumcidique gementes,  
 374 quem morem Judaea tenet. Videt inde columnas  
 375 quas rex constituit frendens Aegyptius armis.  
 376 Auratam exterius navem videt, atque micantem  
 377 argento interius (nam multi Aegyptia sacro  
 378 mira sacerdotes reserabant ordine vati)  
 379 inde sacrosanctae resonantia sinistra juvencae  
 380 tractavit longoque tulit cava tympana pulsu.  
 381 Hinc divo instructus ritu sacra extera miro  
 382 quaesivit studio, et quicquid Chaldaea rependet  
 383 sancta superstitio, et quicquid docuere per orbem  
 384 appellat quos terra suos Judaea prophetas.  
 385 Brachmanas adiit viditque arcana paternae  
 386 Tantaleas miratus aquas miracula mensae.  
 387 Quid morer ? Audivit Maurorum ingentia sacra,  
 388 quodque pruinoso carmen donetur Atlanti.  
 389 Et prior agnovit Siculis quae montibus olim  
 390 dixerunt magni galeatae, et quicquid in oris  
 391 ostendit sapiens druidarum copia Gallis.  
 392 Hunc docuit lapides Balearica terra rotatos  
 393 mittere et in triplici sua vertere pectora funda ;  
 394 Cretenses Parthusque ferox instruxit ab arcu  
 395 ingenita jacere hamatas procul arte sagittas.  
 396 Hinc adiit Persas, Arabes, vagus Aethiopasque  
 397 gymnosophista Syros. Medos penetravit et Indos,  
 398 Massagetasque Scythas, Phoenices, Caucason. Unde  
 399 egrediens Phoebi proles patria arva petebat.  
 400 Blandiloqui occurrunt Thraces matresque patresque,  
 401 Orphea municipem laeta cum voce salutant.  
 402 Strymoniae flectuntur aquae, Rhodopeia saxa  
 403 visa dedisse sonos. Jam robora verticis Haemi  
 404 frondibus emotis gaudent ; sonat Ismarus alto  
 405 et nemorum motu vocalibus Orphea nervis  
 406 exsultans venisse suum, ceu rursus ad auras  
 407 vitales Stygia vates a morte rediret.  
 408 Ture calent arae sacrataque templa Sabaeo.  
 409 Fiunt sacra deum quae quondam instruxerat heros  
 410 Pangaeus. Poscunt alii ut miracula narret  
 411 per tot visa dies patrio quibus orbe domoque  
 412 abfuerit. Miro Phoebos satus ordine coram  
 413 cuncta recensebat, rigidis tamen aurea Colchis  
 414 vellera rapta omnes pendent narrantis ab ore.  
 415 Differit Haemoniam modulatis cantibus Argon  
 416 ad malum a puppi eruptam super astra polumque  
 417 ignotas petiisse vias vastumque per aequor

418 insultasse canit rudibus cava roborata remis.  
419 Heroas canit Argolicos per Phasidis amnem  
420 intrasse alatis Mavortia templa sarissis  
421 inde tuas ignara faces Medea recenset,  
422 atque adamanteis spirantes naribus ignem  
423 aeripedes cantu victos ab Iasone tauros,  
424 vipereoque viros prognatos semine in arvo  
425 Martis, et exstinctos per mutua vulnera fratres.  
426 Mox vigilem versu magico posuisse draconem,  
427 fulmineas flammam trifidaequae sonantia linguae  
428 sibila, et evictos cantato gutture morsus.  
429 Te memorat Medea ferox qua fraude parentem  
430 turpiter abscisso deceperis impia fratre.  
431 Mox ad Iolciacas laetissima veneris urbes.  
432 Ecce ruunt Dryades, Satyri Panesque Napaeaeque  
433 ad cantum Orphea rurestria numina vocis.  
434 Multae illum Ismarico cantantem pectine juncto  
435 optarunt nymphae, fit gratia cara puellis  
436 Orpheus et pulchro figit praecordia vultu.  
437 Multae illum petiere ; tamen fuit irritus ardor  
438 pluribus. Eurydice est quae comprimat unica pectus  
439 Orpheos et validis exurat viscera flammis.  
440 Ardet amore fero Phoebea propago nitentis  
441 Eurydices. Sic vatis amor flagrantia torquet  
442 Eurydices niveae praecordia. Utrumque benignis  
443 mutuus urit amor facibus parilique sagitta  
444 percutit, et dulces in utrumque inspirat amores.  
445 Haec sata Mercurio Eurydice formosa, puellas  
446 tam visa est superare pares, caelestibus aulis  
447 quam jucunda Venus divas supereminet omnes.  
448 Ecce dies augusta aderat, fraterque coronis  
449 laetus Hymen cinctus sua tempora venerat oras  
450 Ismaricas. Sanctos jam plebs hymenaeon ad ignes  
451 convocat, et longo resonabat tibia cantu.  
452 Omen at infelix nimium fuit. Ecce sonaces  
453 carmina rauca tubae crepitu lugente dederunt.  
454 Inde fero stridore faces lacrimare videntur,  
455 et sparso inferius volitarunt nubila fumo.  
456 Hic cecinit Stygius feralia carmina bubo,  
457 et strigis infandae sonuerunt murmura noctu.  
458 "Vox hymenaeae tua est infelix concita" dixit  
459 tristia Tisiphone exululans praesagia, lauri  
460 et tristes fecere sonos. Nec saltat Iacchus  
461 in potu, et fuscis coeperunt vina colores.  
462 Si thalamum ingreditur vates, torus ipse repente  
463 concutitur, tristemque tori dant fulcra recussum.  
464 Si egreditur quater elisa quatit hostia planta.  
465 Transierat non longa dies, cum conjugis Orphei  
466 pastor Aristaeus correptus amore furenti  
467 Eurydicen cupit amplexu ; noctuque diuque  
468 hanc videt, alloquitur visam supplexque vagatur  
469 cum pulchra Eurydice. Comburit igne tremendo,  
470 ceu solet admotis pix nigra ardescere flammis.  
471 Sicque ait : "O nympha, non sum vulgarior Orptheo.  
472 Personat auratis citharis, mea fistula campis  
473 obstrepit, est noster patet et pater Orpheos idem."

474 Se nostrum perhibet Thymbraeus Apollo parentem.  
475 Calliope hunc peperit, peperit me gurgite in imo  
476 Cyrene princeps nympharum, et vera propago est.  
477 Non dubitor. Dubium est pater Orpheos an sit Apollo.  
478 Me cape conjugii comitem vincloque jugali  
479 te mihi junge (precor) ne te renuente maritum  
480 spiritus iste meus tenues vanescat in auras."  
481 Talia necquicquam dicentem et voce precantem  
482 spernit Aristeum nymphe, precibusque repulsis  
483 Orphea solum ardet, solum cupit Orphea et unum  
484 Orphea legitimae servat per foedera taedae.  
485 Unde cupidineo suadente furore volutans  
486 omnia Aristeus roseas vitiare per herbas  
487 destinat Eurydicen, ad quas veniebat in aestu,  
488 ut legeret mixtis redolentes floribus herbas,  
489 poneret implicitis et lilia lecta coronis,  
490 Naiadum et Dryadum turba comitante sororum.  
491 Est locus immensi ripas prope fluminis Hebri  
492 floribus insurgens variis, ubi tanta voluptas  
493 caespitis et rosei speciosa orchestra theatri.  
494 Saepius ut lassae ponant ibi taedia nymphae  
495 venatus, magnique aestus ibi murmura rivi  
496 dulcia dant nymphis faciles suadentia somnos.  
497 Rara arbor medio in campo frondentibus umbris  
498 Phoebeos abigit radios, sed vallibus amplis  
499 undique dispositis resonant congesta volucrum  
500 agmina. Ibi assidue deflet Philomena peremptum  
501 tristis Itym : florent ibi candida lilia versis  
502 in sese foliis, ibi dat rosa candida odores.  
503 Hic dulcis redolet praemollis amaracus, illic  
504 narcissi et claris foliis hyacinthus et agro  
505 splendicat immixtis violarum forma ligustris.  
506 Non absunt furvo vaccinia nigra colore.  
507 Non desunt hederæ longo rutilante corymbo.  
508 Non variae hinc absunt herbae concinna corollis  
509 vincula et adductis nitidissima stamina sertis.  
510 Venerat Eurydice sparsis formosa capillis,  
511 cui teretes digiti, cui fulva monilia, vultus  
512 siderei inserto rubeis candore papillis.  
513 Vestis aperta habiles humeros et eburnea colla  
514 ostendit teneras pulsans circumflua plantas.  
515 Hujus limbus erat vere aureus, aurea pectus  
516 cingula habet, plures ibi Thracia numina nymphae.  
517 Mos erat iis medio deducere carmina campo  
518 plena cupidinibus pharetratis, plena sagittis,  
519 et quandoque pedes variis motare choreis.  
520 Tum prima Eurydice se se succingit, et omnes  
521 allicit ad lepidos demisso carmine saltus.  
522 Talis erat qualis Charitum Venus alma sororum  
523 cincta choro, et volucrum circumdata ab agmine amorum  
524 pulsat humum, aut placidi perlabitur aequora ponti.  
525 Non procul abfuerat graviori exustus amore  
526 pastor Aristeus, qui forte armenta per illos  
527 non visus pascebat agros ; cum novit amatum  
528 pectus et auratos confixo lumine vultus.  
529 Clamavit voce intensa resonansque tremendo

530 murmure ait : "Jam praeda meos quaesita per arva  
531 decidit in casses, iterumque iterumque remugit  
532 quo fugis Eurydice ? Conjux mea, siste citatos  
533 siste gradus, compesce tuos fugiendo volatus.  
534 Numquam hodie effugies, quin te mea brachia dolci  
535 complexu teneant. Et si te Juppiter alto  
536 eriperet gremio, numquam bene tuta furores  
537 effugere hos poteris ; clames licet Orphea carum  
538 nympa virum : haud quicquam tibi proderit : irrita mens est  
539 conclamare virum et maestas extollere voces."  
540 Non secus Eurydice timuit quam cerva leone  
541 viso fata tremens. Fugiunt absque ordine nympae,  
542 collectosque sinunt flores et lilia molli  
543 lecta manu. Infelix quem postquam agnovit apertis  
544 Eurydice in campis fugiens metuente terebat  
545 prata pede, auxilium nympharum implorat. At illae  
546 longius hinc aberant aberat tamen improbus ipse  
547 longius. Heu nympae trepidans dum verba procacis  
548 effugit, ad ripas Hebri pervenerat. Illic  
549 currit ceu metuens viso cane cervus. In herba  
550 dirus erat coluber vehementi languidus aestu,  
551 quem sopor exanimem vix fecerat. Illa jacentem  
552 nescia calcavit, calcantem dente momordit  
553 ferali Eurydicen serpens. Ut dira veneni  
554 vis abit in talum, sensit peritura dolorem  
555 quem dirae dabat hora necis. Moribunda supremum  
556 ut sensit sine fine malum, suprema profudit  
557 verba : "Vale, conjux Orpheu, dulcissime conjux,  
558 amplius haud vises faciem quam saepe tenebas  
559 in dolci oppressa gremio. Non me amplius unam  
560 amplexu accipies : rapta est tibi copia vivae  
561 conjugis." Iis dictis, anima volitante per auras  
562 clausit in extremam pavitancia lumina noctem.  
563 Audierant nympae et Panes, Faunisque salaces  
564 et Satyri fatum Eurydices, Dryadumque catervae,  
565 florea cum gemitu sonuerunt rura, gemebant  
566 tristia et exstinctum quaerebant numina corpus.  
567 Quo demum invento planxerunt corpora palmis  
568 Naiades et duro posuerunt membra feretro.  
569 Cui Panes subiere omnes, lacrimantibus aer  
570 respondet Satyris, feralia verba Napaeae  
571 dixerunt, Faunisque tubis sonuere gementes.  
572 Prata suos sternunt flores et lilia pulchros  
573 marcida ob exstinctam nymphen posuere colores.  
574 Non procul est tumulus, viridi qui clauditur ingens  
575 margine, et arboribus quem desuper umbra coruscis  
576 aspicit. Hic facto molli sub caute sepulchro  
577 Panes honoratis componunt funera saxis,  
578 insuper et tenui describunt carmina ferro :  
579 "Quisquis es, hospes, adi dirumque tuere sepulchrum.  
580 Hic jaceo, Eurydice, calcato exstincta colubro.  
581 Me mea virginitas et me pudor ipse peremit."

## JO. FRANCISCI QUINTIANI STOAE POETAE LAUREATI

## ORPHEOS LIBER TERTIUS.

O\_III v.1 Orpheos ad magni tristes pervenerat aures  
 2 conjugis exstinctae mors effera (namque per omnes  
 3 narrarat populos fama impia) voce repente  
 4 lugubri complevit agros camposque patentes  
 5 circuit, et saltus, fontes, nemora alta lacusque  
 6 et quaerit caram Eurydicen. Sensere gementem  
 7 Ismara, et extremas Rhodopeia saxa querelas.  
 8 Haeme pias lacrimas fundentem et perpete luctu  
 9 foedantem vultus saepe es miseratus, et urbes  
 10 Bistoniae sensere graves plangore soluto  
 11 singultus tristisque animi suspiria fluctus  
 12 Strymonii et Thraces, Bessi fortesque Getaeque.  
 13 Excelsi Eurydices conclamant nomina montes  
 14 roboraque et silvae. Luget funebribus echo  
 15 vocibus. Infelix noctuque diuque vagatur  
 16 vestigans dulcem Eurydicen, lacrimantis in ore  
 17 Eurydice sola est, et sole abeunte peragrat,  
 18 et veniente gemens campos ubi saepe solebat  
 19 ludere et intextas manibus tractare coronas.  
 20 Ipsa minus tamen Eurydice est, ubicumque vagatur  
 21 incisum videt Eurydices per robora nomen.  
 22 Unde magis dolor ingeminat, quandoque jugalem  
 23 ante torum mixtis repetit pia verba querelis.  
 24 "Dulces concubitus nostrae dum vita manebat  
 25 conjugis et tepidos regeret dum spiritus artus.  
 26 Dulcia connubii socialia foedera, dulces  
 27 taedarum nexus. Nunc omnia tristia nostrum  
 28 corpus agunt postquam Eurydices pia vita recessit."  
 29 Talibus oppressus curis Cereremque Lyaeumque  
 30 effugit, et nimium nimium intabescit amando.  
 31 Sed postquam in supero non est data copia regno  
 32 instaurare suam Eurydicen et tempora fati  
 33 vertere, blandisoni fretus mulcedine cantus,  
 34 et fisus cithara et tensi dulcedine nervi,  
 35 destinat infernas tristis penetrare cavernas  
 36 et Phlegethonteis manes accersere flammis.  
 37 Jam coeptum properabat iter, cum occurrit imago  
 38 conjugis, et tales jactavit in aera voces :  
 39 "Mi vir Aristei tremefacta libidine et acri  
 40 impete dum fugio, me exstinxit vipera ; cur me  
 41 quaesisti Ismariis silvis ? Me uligine gurges  
 42 foedata imus habet ; me Tartara nigra profanis

43 carceribus retinent. Qua me regione requires ?  
44 Qua prece ? Quo gemitu ? Quo munere ? Qualibus, Orpheu,  
45 luctibus infernis redimes fornacibus ? Antrum  
46 non curat letale preces : adamantinus ingens  
47 Dis pater humanis lacrimis nec flectitur unquam.  
48 Uxor eram, nunc umbra loquor. Nec funera defle.  
49 Quid possunt gemitus ? Lacrimae post fata dolorque ?  
50 Care, vale : hanc nostram jam jam vocat Aeacus umbram.  
51 Nostra erit Elysiis sedes pulcherrima campis.  
52 Desine amans luctum : querimonia nulla retexet  
53 fata deum. Ut dixit ventosa recessit imago.  
54 Territus audito sermone affatur. Imago  
55 effera num caros tetigisti perfida vultus ?  
56 Quid fugis ? Aut quali me ferrea decipis umbra ?  
57 Mine faves ? Caro sicne auxiliaris amanti ?  
58 Hic pietatis amor ? Tua sic concordia ? Quid me  
59 linquis ? Ut haec animo mecum prius ante revolvi  
60 Te sequar, et Stygii veniam tecum incola regni.  
61 Nos habuit quondam torus unicus : unica in imis  
62 sic erit ambobus silvis domus, ecce Laconum  
63 rura patent. Tellus jam se Spartana videndam  
64 heroi dabat Ismario. Procul ipse recessit  
65 Tenariasque petit fauces, ubi dira vorago  
66 aestuat et nigro semper calet impia fumo  
67 flammaramque globis calidos ostentat hiatus.  
68 Ut procul inspexit tenebrosis nubibus antrum  
69 obscurum et saevas rupes, compulsus amore  
70 est ausus nebulis intrare per ostia taetris.  
71 Jam lucum ingressus densa caligine opacum  
72 pallor ubi et macies et hiems et curva senectus  
73 atque fames, sitis atque pavor luctusque tremorque  
74 et pudor, et gemitus morbique inamoena cupido  
75 vultur, et infandae strigis omina, taxus et ater  
76 bubo, febres tremulae, discordia, rixa, tumultus,  
77 foedatas posuere domos, ubi mille per umbras  
78 sunt aditus, et mille viae, quibus itur ad atrum  
79 Tartaton. Ut Stygiae visa est prope ripa paludis,  
80 constitit, et varias prope litora conspicit umbras.  
81 Conspicit omniveham puppim, qua millia semper  
82 tot vecta in vacuas sedes portantur Averno.  
83 Portitor utque Charon vidit fuscata tenebrans  
84 ora supercilio vatem lacrimisque gementem  
85 effusis vivumque virum, conclamat : "Ab undis  
86 i procul : hic nullis placantur luctibus irae.  
87 Jam semel Alcides dirum populatus Avernus est  
88 Thesea ut armigerum traxit monstrumque trifforme  
89 ora Medusaeis cinctum serpentibus, utque  
90 Admeti Alcesten superas revocavit ad auras.  
91 Unde ego carceribus vinctus saevisque catenis  
92 ipse dedi poenas. Quae tanta insania tantum  
93 suadet ut umbriferos non functus adire penates  
94 acceleres ? " Cunctumque manu comprehendit et ipsum  
95 Orpheia mortiferis properat divertere ripis.  
96 Tum Phoebi pia progenies fulgentibus altum  
97 pectinibus maesto deduxit carmen hiatu.  
98 "Nauta Charon, miseris non umquam victe querelis,

99 si qua tibi est pietas, si qua est clementia duri  
 100 pectoris, assuetum non dedignere rigorem  
 101 ponere. Num aurata miniter bella impia concha ?  
 102 Pande iter. Hunc saltem miserum solare. Dolorum  
 103 sum domus et praeceps lacrimarum facta vorago.  
 104 Dulce bonum quodcumque meum est : genus omne dolorum  
 105 omne calet si pandis iter." Vix talia vates  
 106 dixerat, ingenti cum sponte simillima vento  
 107 cymba natat precibus lepidoque emota susurro.  
 108 Ecce Charon posuit rabiem lacrimasque profudit  
 109 tristibus insolitas oculis suscepit et illum  
 110 adduxitque cava trans livida flumina cymba.  
 111 Cymba capax populorum uni succumbit et alto  
 112 dicta vado rimis hietat, tabulisque solutis  
 113 a latere acceptat fluctus succussa palustres.  
 114 Ditis opaca domus triplici circumdata muro  
 115 non procul aerato monstrabat cardine postes.  
 116 Hic dirae Eumenides posuere cubilia taxo  
 117 pectentes rabidos longis pro crinibus hydros.  
 118 Hic variae strident lacrimae variisque flagellis  
 119 murmura funereo resonant fub iudice. Terror  
 120 maximus exsanguis flagrorum territat umbras.  
 121 Umbrarum ut vates regem conspexit acerno  
 122 spectantem solio, motis ad carmina nervis  
 123 sic ait : "O Stygii metuenda potentia regni  
 124 quo tendit mortale genus noctesque diesque,  
 125 O chaos umbrosum : o ferrugine operta vorago .  
 126 O loca senta situ, o tenebrosa palatia noctis,  
 127 in quae praecipiti lapsu quodcumque creatum est  
 128 decidit, an nostrae dabitur sua gaudia conchae ?  
 129 Non mea mens suadet, neque opinio adire tremendum  
 130 imperium extremis simulacraque functa sepulchris.  
 131 Est ea non cupidae sententia mentis. Averno  
 132 nil nisi triste sedet, nulla hic genuina voluptas.  
 133 Risus abest, absunt veneres, convivia, cantus.  
 134 Non mea me stimulis egit lasciva cupido  
 135 visere supremam mortem et Phlegethonta sub imis  
 136 gurgitibus volventem atro quodcumque veneno.  
 137 Vasta nec ingressus spelaea, ut carceris atri  
 138 ferrea conspicerem ferratis vincla catenis.  
 139 Nec veni ut manes victo popularer Averno,  
 140 vinciremque canem cava Cerberon antra trifauci  
 141 terrentem ut fugeret caelestia sidera rostro.  
 142 Nec veni ut nostris Proserpina rapta lacertis  
 143 mortales intret thalamos. Me nullus euntem  
 144 per Styga fraternis comitatur viribus, ingens  
 145 Theseus Actaea nec Tartara casside terret.  
 146 Me pius egit amor, me me pius ignis adegit  
 147 Cocyti superare vadum Stygiamque paludem  
 148 nigrantesque videre locos inamoenaque regna.  
 149 Hoc pietas patefecit iter, nec credite inani  
 150 Orphea ad haec Erebi venisse silentia fastu.  
 151 Nec tamen inficior quin diruta foedera : nullus  
 152 aureus est ramus correptus ab arbore fulva.  
 153 Immemorem me fecit amor pietasque coegit.  
 154 O pater umbrarum, cui Tartara nigra Erebusque



155 et tristes cessere animae. O Proserpina, habenas  
 156 quae retines largae dicionis et infima sceptrum,  
 157 vos idem conjunxit amor, cum membra Typhoeus  
 158 verteret atque altam propriis fornacibus Aetnam  
 159 excuteret nixuque gravi juga celsa Pelori,  
 160 te quoque cum supero Lilybe praerupta Pachyno.  
 161 Regnat amor superis regionibus, alta trucidat  
 162 numina, et hamatis mortalia pectora telis  
 163 percutit. Unde premor per vasta silentia nullo  
 164 ire metu et fixas passim corrumpere leges.  
 165 Omnia vincit amor : furvae connubia noctis  
 166 sensit in antiquis Erebus pater optimus annis.  
 167 Omnia vincit amor : sua Juppiter ora figurat  
 168 et superum varias pectus transformat in artes.  
 169 Omnia vincit amor : fecit delphina Melantho  
 170 Neptunum, et propriis fecit decedere regnis.  
 171 Omnia vincit amor : Saturnia pectora quondam  
 172 frena terentis equi falsissima texit imago.  
 173 Omnia vincit amor : posuit sua lumina Phoebus  
 174 vi facis in niveam figens praecordia Daphnem.  
 175 Omnia vincit amor : flagrat Cyllenius Herse,  
 176 Atticaque in durum convertit membra rigorem.  
 177 Omnia vincit amor : Venerem cum Marte superbo  
 178 viderunt superi junctam ex adamante catenis.  
 179 Omnia vincit amor : falsam conversus in uvam  
 180 Bacchus in Erigones posuit sua membra cubili.  
 181 Omnia vincit amor : petit inconcessa Minervae  
 182 connubia, et vetitis Vulcanus in ignibus arsit.  
 183 Omnia vincit amor : cupiit Syringa per agros  
 184 Pan deus, unde fuit conjunctis fistula cannis.  
 185 Omnia vincit amor : Psyche, o pharetrate Cupido,  
 186 vinceris et placidae combureris igne puellae.  
 187 Omnia vincit amor : Phoeben combussit Orion,  
 188 quem toties sumptis per rura secuta sagittis.  
 189 Omnia vincit amor : pulchrum Venus arsit Adonin,  
 190 cujus in extincti famam nova floris imago est.  
 191 Omnia vincit amor : periit Babylonia Thisbe  
 192 candidaque in nigrum se vertunt poma colorem.  
 193 Omnia vincit amor : vincens amor omnia vertit,  
 194 omnia divertens amor omnia pressat et urget.  
 195 Et si vincit atrox amor omnia, et omnia calcat,  
 196 Orphea Tartareas penitus detrusit ad umbras.  
 197 Si crudelis amor, caeci o regnator Averni,  
 198 infernis te pressit equis supera arva tueri,  
 199 et fieres posito torvus diademate raptor.  
 200 Non mirum hamato si fixerit Orphea telo,  
 201 presserit et vastos Erebi penetrare recessus.  
 202 Si crudelis amor, Stygii o matrona tyranni,  
 203 hoc taetrum dedit imperium sceptrumque tremedum,  
 204 non mirum accensis si vicerit Orphea flammis,  
 205 fecerit et positus ut adirem Tartara curis.  
 206 Causa viae fuit Eurydice pulcherrima conjux  
 207 quam reor obscuro vinctam teneatis in antro.  
 208 Ipsa suasit iter, per opaca cupidine cujus  
 209 Tartara descendi et trepidi loca plena timoris.  
 210 Conjugis Eurydices detur mihi copia tantum

211 quam nuper rigidis exstinxit morsibus hydrus,  
212 Thraessa per arva viri fugientem verba procacis.  
213 Unde, pudicitiae ut servaret jura fidemque  
214 concidit, an mortem effugit num virgo pudorem ?  
215 Ista nimis praecox mors est : juvenilibus annis  
216 parcite, et extremam fatis convertite mortem.  
217 Legibus infernis debent mortalia : vestro  
218 humanum est sub jure genus, sub legibus Orci  
219 quod semel exortum est, et si nos serius, aut si  
220 temporius morimur locus accipit unicus omnes.  
221 Ultimus iste locus, domus ultima, nullus opaci  
222 finis erit regni, et tandem quodcumque per antrum  
223 Infernum semel intrarit data copia nusquam  
224 ad superas auras nec ad aurea saecula reverti.  
225 An pius efflabit verba irrita ? Adire profundum  
226 est pietatis opus cara pro conjuge : cara  
227 pro Semele Orphnaeas olim Dionysius oras  
228 intravit Stygiumque nemus penetravit, et istud  
229 antrum horrendum, ingens, taetrum, miserabile, opacum  
230 vidit, et extraxit Semelen a carcere matrem.  
231 Persephone, o Pluto, supremaque numina noctis  
232 si datis Eurydicen, mihi si conceditis uti  
233 Eurydice, ut justum vitae consumpserit aevum  
234 ad letale iterum veniet chaos. Infera caram  
235 jura negent renuantque virum perducere secum  
236 Eurydicen : certum est me ad saecula nolle reverti.  
237 Accipite hanc animam defuncto corpore nondum.  
238 Accipite hos manes : sum vester et insuper artus  
239 Spiritus hos nusquam retinet. Mutare decorum est  
240 hanc vitam extrema cum morte ; beatius istud  
241 munus erit quam si sine conjuge ad astra revertar.  
242 Haec domus ambobus pateat ; sine conjuge conjux  
243 Orpheus infelix numquam remearet ad auras  
244 aerias me jure tuo confunde sub Orcum.  
245 Si moriar cara pro conjuge fama per omnes  
246 vivet Olympiades. Viden Orphea subjice morti.  
247 Tu servare potes, potes Orphea perdere amantem.  
248 Sub te vita mea est, sub te mors nostra patienti  
249 militat arbitrio : vivo sub morte, laborum  
250 des finem atque hujus tandem miserere precantis."  
251 Talia dum caneret resonanti pectine vates,  
252 umbrarum omne genus facto agmine sedibus imis  
253 emergens circumsteterat lemuresque profundi  
254 cantantem circumveniunt ultroque citroque  
255 evolitant umbrarum atro tot millia centro,  
256 millia quot volucrum silvis conduntur opacis,  
257 cum ruit imber et eveniunt cum turbine nimbi.  
258 Aut vaga quot volitant folia autumnalibus altis  
259 arboribus concussa Euris, ventoque sonanti  
260 se vergunt qua ventus agit, qua turbinis horret  
261 impetus et miris vertit curvamina circlis.  
262 Matres atque viri et simulacra carentia luce,  
263 heroes puerique simul castaeque puellae,  
264 exsanguis lacrimant animae pietate gementis  
265 Orpheos et lepido ducentis carmina plectro.  
266 Cerberus horrorem posuit nec taetra furentum

267 serpentum series perflat fera sibila, et inde  
268 maestus ad Orpheos clausit tria guttura cantus.  
269 Cocyti stagna alta vadis siluere refusis  
270 jam tacita Ismario positis ululatibus hymno.  
271 Et Styx alta palus inamabilis Orphea sensit  
272 naturalem odium pacans odiumque perosa  
273 vana superstitio divum, et Phlegethonta coruscum  
274 dulcia Strymonii vicerunt barbata vatis.  
275 Hic nullae insurgunt flammae, mox verba volutans  
276 sistit aquas Lethe fundoque Acherontis in imo  
277 nulla gemit vox tristis aquis lacrimaeque silesunt.  
278 Regia tum stupuit Plutonia, Tartara longum  
279 deposuere situm, Eumenides flevere sorores  
280 crinibus intortis serpentum ambage micantum.  
281 Verbera cessarunt duris emissa flagellis.  
282 Stridores aberant lugentum acresque dolentum  
283 singultus, pacata cavis suspiria ripis.  
284 Nulla reos vexat prostrato poena rigore  
285 et sua deposuit Rhadamanthus jura : duorum  
286 dira videns cantu deposta negotia fratrum.  
287 Mors nulla in terris regnat, mors nulla vagatur.  
288 Morborum genus omne cadit, non Atropos ulli  
289 stamina funereo resecat lugubria fato.  
290 Tum stetit immotis oculis Titania proles  
291 ausa olim, Saturne, tuum dirumpere regnum.  
292 Accit Aloidas chelys aurea corpore vasto,  
293 qui repleta novem per singula cornua lunae  
294 crescebant quondam digitis, quo sidera fastu  
295 aggressi superoque Jovem detrudere Olympo.  
296 Mox calidis demit rapidum Salmonea flammis  
297 fulmine concussum, cui tanta superbia ut ausus  
298 aere subimposito rapidas agitare quadrigas,  
299 ut posset tonitrus imitari et fulgura curru.  
300 Tum Tityi rostro volucres non membra recurvo  
301 dirupere iterum nascentia. Tantalus undis  
302 non sitit appositis nec poma fugacia captat.  
303 Cessavit vertigo rotaeque Ixionis. Inde  
304 Sisyphus imposito lassus trahit otia saxo.  
305 Belides et positis doluerunt fletibus urnis.  
306 Impia turba gemunt Cadmeides infera vati  
307 jura sacro nimium crudelia ; luget Agave  
308 Pentheos infido dextram maculata cruore.  
309 Ecce, superciliis positis vultuque severo,  
310 flectitur Ismariis precibus Proserpina et ingens  
311 umbrarum doluit rector conquestibus. Ecce  
312 flaccida fata cadunt adamantina, flectitur ille  
313 regnator facillique atrox deus annuit ore,  
314 et maestam vocat Eurydicen, quae laeta per arva  
315 ibat, et umbrosos peragrabat maesta recessus.  
316 Claudicat Eurydice tardoque ob vulnera gressu  
317 venit ubi ad poenas justus vocat Aeacus umbras.  
318 Conjuge prospecto, stupuit. Dubitabat et ipsum  
319 Orphea defunctum Stygias tranasse paludes.  
320 Sed postquam aspexit mortalibus Orphea membris,  
321 horruit herbosis iret ceu vipera campis,  
322 ceu longum calcaret hydrum. Rhodepeius heros

323 vidit ut Eurydicen lacrimis gravioribus aeger  
324 singultus dabat et maestis lugebat ocellis  
325 talibus : "Heu, conjux, terris quaesita supernis,  
326 fluminibus quaesita vagis, quaesita beato  
327 orbe sub aethereo et tandem quaesita profundis  
328 vallibus, inventa es. Quanto discrimine caelum  
329 distat ab hoc superum, veni tamen ustus amore ;  
330 est pietatis opus (pietas modo carcere in imo  
331 jus habeat), fles, Eurydice ? Proh quanta voluptas  
332 est animo vidisse tuos sub Tartara vultus.  
333 Vidimus optatam toties totiesque cupitam.  
334 Sum felix pater umbrarum, succurre dolori.  
335 Hactenus. Amplemus cum spe fervente lacertis  
336 concidit expassis, ceu spiritus isset ad auras.  
337 Umbrarum insurgunt lacrimae, Proserpina duris  
338 collacrimans oculis longos miserata dolores  
339 descendit solio vatemque amplexa labantem  
340 erigit et sacro lustrat medicamine vultus.  
341 Paulatim instaurat vires oculisque gravatis  
342 torpor abit faciesque suum capit inde colorem.  
343 "Proh dolor" ingeminat Ditis vultuque sereno  
344 Dis caput inflexit laetoque haec pectore fatur :  
345 "Orpheu dulcisonis fidibus gratissime vatium,  
346 cui leges cessere Erebi nostrumque tribunal,  
347 hic tuus Eurydice candor, tua vita, animusque :  
348 felices iterum tecum remeabit ad oras.  
349 Dummodo nostra datae serventur foedera legis.  
350 Si legem exoptas, paucis (adverte) monebo.  
351 Hac lege accipito Eurydicen : ne lumina retro  
352 deflectas, superum donec conspexeris orbem."  
353 Conjuge laetus erat revocata, turbidus Orcus  
354 annuerat, prior ingreditur sic cantibus orsus.  
355 Ite sacrosanctae circum mea tempora vittae  
356 atque triumphantes mea cingite tempora lauri.  
357 Vicimus extinctam et Stygio revocavimus Orco  
358 Eurydicen. Et Io clament mecum omnia, colles.  
359 Et patrii paeana canant, paeana resultent.  
360 Jam sacra cornigeri consumpta oracla Tonantis :  
361 quae cecinit Libycis essem dum moenibus hospes.  
362 Dumque ea Apollinea caneret testudine laetus  
363 non procul hinc aberat tellus mundique patentis  
364 area, cum tacito passu post terga sequentem  
365 spectare Eurydicen cupidus sua lumina retro  
366 flexit, et erupit temeratae foedera legis.  
367 Orpheu, quanta animi est incuria, vipera morsu  
368 quam prius exstinxit, tu flexo exstinguis ocello.  
369 Crudeles oculi nimium nimiumque libido  
370 effrenata. Aciem vix flexerat inclytus heros,  
371 cum rapta in vacuas conjux evanuit auras.  
372 Talibus improperans : "Proh quanta, miserrime conjux,  
373 te ruit impietas ? Revocasti a sede tremenda,  
374 atque iterum infernas oculo detrudis ad umbras.  
375 Rapta ego bis vixique semel ; bis rapta semelque  
376 contigit aeriis vesci feliciter auris.  
377 Care vale conjux, nec erit tibi copia nostri  
378 amplius. Iis abiit Stygium revoluta per antrum."

379 Non aliter metuens exhorruit Ismarius vir  
380 quam si fulmineo quaterentur saxa fragore,  
381 aut si improvisos alto de monte leones  
382 cervorum dux conspiciat : meditatur et haeret  
383 quod per iter fugiat, qua silva se obdat opaca.  
384 Heu manibus cecidere lyrae. Proh qualibus aeger  
385 luctibus, et quantis implevit saxa querelis.  
386 Barbata tum lacrimans manibus capit irrita et ingens  
387 intrat iter curvamque specum nebulasque vomentem  
388 sperat adire locum : sed jura inferna vetabant  
389 ire iterum. Ut vidit venientem portitor ingens  
390 insonat exclamans : "Quo tendis, inepte ? Quis error  
391 abstulit Eurydicen ? Tua si clementia summum  
392 vinceret alta Jovem, numquam haec adamantina fata  
393 flectere carminibus posses." Verba horrida vates  
394 fletibus immixtis non senserat. Ecce parabat  
395 se propius transferre : Charon gravis intonat et sic  
396 arguit : "Infelix tuus est labor irritus, an sic  
397 foedera servasti ?" Verbis non ille movetur,  
398 quam si dura silex, mediis quoque marmor in undis  
399 esset et in mediis vel moles saxea muris.  
400 "Siste gradum. Quo flectis iter ? " Vatemque trabali  
401 avertit cunto. Doluit Phoebaea propago,  
402 nigrum egressa locum taetraeque silentia vallis.  
403 Tum patrium jubar aspiciens currusque paternos,  
404 incipit : "O lumen caeli pater omnia lustrans  
405 Phoebe, parum genuisse fuit, si conjuge cara  
406 me sinis et nostrum torqueri pectus adempta.  
407 Mene pater Thymbraee vides ? Men conspicias ? Ergo  
408 me ad lacrimas fletumque gravem genuisse decorum est ?  
409 Si perhibent hoc fata deum, si Juppiter ipse  
410 constituit, : numquam sociabor foedere lecti.  
411 Polliceor. Si pollicitis socialia tangam  
412 connubia, eruptis jaculo me Pallas acuto  
413 transadigat, perimarque gravi vel fulminis ictu.  
414 Vel fera me exagitet diro Bellona flagello.  
415 Aut mea concutiat commotis lumina sistris  
416 Isis et Inachio perfringat viscera cornu.  
417 Hactenus. Arva dehinc maestus Spartana reliquit  
418 Bistoniasque petit valles nomenque perosus  
419 femineum lato degebat solus in Haemo.  
420 Sic tribus exactis stetit annis caelibe vita  
421 femineo sine amore. Tamen gaudebat amores  
422 tractare infandos juvenum ingenuosque pudendo  
423 deflorare mares praerepto vere juventae.  
424 Sacra dies aderat. Ciconum qua Bacchus ad aras  
425 cultus honorato praecordia numine complet.  
426 En lymphata cohors sua membra adoperta ferino  
427 vellere Bassaridum furit exagitante Lyaeo.  
428 Pars caput inflectens ultroque citroque corymbos  
429 jactat, et intorquet furiato corpora motu.  
430 Et modo calcat humum geminatis passibus, ima  
431 et modo contacta manibus salit aere planta.  
432 Pars quatit immensos per concita robora thyrsos  
433 et sonitum ingeminans ululatibus ardet acutis.  
434 Rauca Mimalloneos respirant cornua bombos.

435 Pars rotat ora canens solemnibus orgia verbis  
 436 euhoeque ingeminans, vocat Euhion, Euhion accit.  
 437 Maenades incursant oculis radiantibus, inde  
 438 Thyas anhelanti vaga prosilit ore, rotantur  
 439 vi capita, et facto capita impete, et ordine nullo  
 440 tympana percutiunt Edonides alma furore  
 441 Ogygio, et sonitu quatiunt cava cymbala rauco.  
 442 Murmura concrepitant, et murmura duplicat echo.  
 443 Interea Ismariis sociabat carmina vates  
 444 pectinibus. Volucres aderant et prona ferarum  
 445 agmina et ingentes silvae. Cantabat amoeno  
 446 ore deum cuicumque foret gratissima tellus.  
 447 Dictabat Crete qua relligione Tonantem  
 448 percelebret, sanctum et quali sub honore sepulchrum  
 449 ostentet. Patrem quo numine Phoebon adorent  
 450 et Claros et Tenedos. Junonia templa Samosque,  
 451 et Venerem Cyprus, tellus Idaea Cybelen,  
 452 Pallada Athenarum populus, Lemnosque sonacem  
 453 Vulcanum, antiquam Cererem Sicala arva, Gradivum  
 454 Threicii, Cynthus Phoeben et Cocytos imam  
 455 Persephonen, Faunum Arcadia aligerumque nivosa  
 456 Cyllene Atlantis materna stirpe nepotem.  
 457 Inde recensebat suadente cupidine raptos  
 458 a superis juvenes. Quali sub imagine summus  
 459 Juppiter Iliaden rapuit Phoebumque canebat  
 460 arsisse Oebaliis silvis Hyacinthon Hylanque  
 461 saepius immenso pacasse sub Hercule flammis.  
 462 Immemorem memorans Atyn memorabat Adonim  
 463 extinctum et Veneris rubeas de sanguine plantas.  
 464 Vix ea finierat, cum vultu maenades acri  
 465 conspexere virum, toties qui mente superba  
 466 spreverat has taedasque tori contempserat omnes.  
 467 Una ait, emissis per eburnea terga capillis :  
 468 "Nostrorum en vates, en perfidus osor amorum."  
 469 Dixerat. Extollens vibrato brachia thyrsos  
 470 surgit et Ismarii dirupit barbata vatis.  
 471 Proh dolor, et pietas : thyrsus stetit ante sonorum  
 472 Orphea et est visus placido cecidisse recussu.  
 473 Collato veniunt Edonides impete, quarum  
 474 altera cantantis lapidem contorsit in ora.  
 475 Non tamen ora lapis tetigit, nam victus amico  
 476 aere conversus cantu. Jacit altera robur  
 477 convulsum, at tento revolutum est robur in ictu.  
 478 Alterius caespes vulsus radicibus imis  
 479 est telum, tamen in medio ruit aere. Tantis  
 480 stridor erat, quam si ruerent a montibus amnes,  
 481 aut si crebra sonans volitaret ab aere granda  
 482 dirumpens calamos magno cum murmure. Vates  
 483 irrita mellitis miscebat verba querelis.  
 484 Bassaridum furor accrescit stimulante Lyaeo.  
 485 Horrescunt volucres, animalia cuncta gemiscunt.  
 486 Sola furit lymphata cohors, clamore sonabant  
 487 et nemora et colles, resonat clamoribus aether.  
 488 Harum una obtortis ululans crudescit ocellis  
 489 accensas imitata faces, et clamat : "Amores  
 490 femineos damnabis adhuc ? Nisi membra trucidem

491 nulla meum stimulent umquam trieterica pectus."  
 492 Dixerat. Incursant omnes variisque canentem  
 493 Orphea circumstant ululatibus ; ira furentes  
 494 sola trahit ; volitant silices lapidesque citati  
 495 femineis manibus. Jam vatis membra cruore  
 496 quassa madent : patitur tot vulnera solus. Ab alto  
 497 auditur stridor volucrumque orchestra gementum  
 498 rumpitur et titubat variarum scaena ferarum.  
 499 Thyades insurgunt animis, pietate moventur  
 500 et saxa et scopuli, riparum fletibus ingens  
 501 creverat Hebrus, aquae dederunt quoque signa cruoris.  
 502 Nulla tamen pietas Bacchantibus ; agmine facto,  
 503 sacrilegae ecce ruunt vocalemque Orphea tristi  
 504 mente vocant variisque petunt concursibus. Heu heu  
 505 Bassaridum Ismario maculantur tela cruore.  
 506 Una manum frendens dextram trahit, altera laevam,  
 507 altera crura : fluunt diruptis viscera nervis.  
 508 Apparent costae, vitiatis ossa medullis  
 509 franguntur, latis demum sparguntur in agris.  
 510 Solo membra loco sunt nulla ; fluente cruore  
 511 terra madet, ceu Marmaridi centena leonem  
 512 agmina cervorum insatiata fauce vorassent.  
 513 Orpheos infernas intrarat spiritus umbras,  
 514 ante ubi Threiciis sociarat carmina nervis,  
 515 et caram videt Eurydicen causasque ferocis  
 516 enarrat fati atque simul non passibus aequis  
 517 lustrat agros finemque sui componit amoris.  
 518 Interea insanis Edonides omnia thyrsis  
 519 membra sacrosancti disjectaque viscera Thracis  
 520 obruerant factis scrobibus ; longoque boatu  
 521 egregias posito cantarant impete laudes.  
 522 Scilicet egregium est extinguere et inde peremptum  
 523 obruere : et moesto pro funere jungere laudes ?  
 524 Naiades o Dryadesque, o vos et Oreades, aequi  
 525 o Satyri, o Panes, Faunorum o turba ; Napaeae,  
 526 plangite Bistonii colles, Rhodopeia saxa  
 527 Strymoniaeque undae vestrum Orphea tollite ; in Hebro  
 528 jam lyra maesta natat, jam jam resonantia maesto  
 529 gurgite plectra jacent. Cur maenades Orphea, vestrum  
 530 Orphea pressistis ? Cujus testudine vestri  
 531 riserunt animi. Sic mystica Bacchica thyrsis  
 532 exercetis ? An haec reverentia vatis ? An istud  
 533 caelica vestra petunt Edonides orgia ? Bacchus  
 534 non impune feret scelus hoc. Lacrimatibus Hebrus  
 535 coepit aquis caput Orpheum validisque subegit  
 536 gurgitibus sacram Baccho contingere Lesbon.  
 537 Vidit ut hoc serpens peregrino auctus ab orbe  
 538 conspicit et trifida consurgit lambere lingua.  
 539 Phoebae pater monstro quid acerbius ? Ore minaci  
 540 lambat hydrus caput Orpheum, quo saepius angues  
 541 cantante herbosos posuere venena per agros.  
 542 Non aberat Phoebus, qui dum videt anguis apertas  
 543 ostentare iras fata ultima, protinus anguem  
 544 in saxa apposito permutat dura rigore.  
 545 Mox caput in sacram proles Latonia Lesbon  
 546 detulit aedificans illustri e marmore templum.

547 Templum erat auratis centum sublime columnis,  
 548 cujus in accessu variis micat aerea signis  
 549 janua et aerato praefulgent cardine postes.  
 550 Liminibus Parium est marmor, loca concava multis  
 551 intus inaurato muro sunt clara sacellis.  
 552 Desuper ignivomi lucent de nocte pyropi,  
 553 ceu variae accenso fulgerent lampades igne.  
 554 Anteriore loco sacrata altaria sub quae  
 555 antra cavernoso sunt semper aperta recessu.  
 556 Hic cortina nitet sedesque aurata coruscat,  
 557 qua scamnum rutilans auri caelamine longo  
 558 sacrat, et Orphea jungit praesagia linguae.  
 559 Vaticanans responsa dabat Rhodopeia cervix.  
 560 Tunc ait haec : "Thraces non Orphea credite vatem  
 561 progenitum Oeagrii de sanguine fluminis : ipse est  
 562 summus Apollo pater. Sum sum in dubitata propago  
 563 Calliopes, nec me peperit germana parentis  
 564 Melpomene. En veris volvam praesagia verbis.  
 565 Exstinctum illacrimans ulciscitur Orphea Bacchus.  
 566 Sacrilegae arboreo cundunt se cortice, crines  
 567 frondibus elatis nutant et brachia rammi  
 568 fiunt, Bassaridum radice retenta caterva est.  
 569 Frater Aristeus cujus stimulante furore  
 570 nostra venenigeris perit hydri morsibus uxor,  
 571 hac pro caede dabit poenas apibusque peremptis  
 572 Cyrenes petet auxilium. Qua terga moventem  
 573 Proteos ambigui premet atque examina caeso  
 574 instaurabit apum vitulo, atque amissa reponet.  
 575 Graecorum huc venient nostra ad responsa superbae  
 576 mille rates. Danais Trojana palatia flammis,  
 577 Ilios Argolicis ruet expugnata sagittis,  
 578 quod bellum canet altisonans Argivus Homerus,  
 579 et miranda canet mendacia. Vera Sibyllis  
 580 venturum per tempus erunt praesagia. Thebis  
 581 bellum ingens erit armigeris. Memorabile regnum  
 582 Martis Amazonium stridor ruet. Inde Gradivo  
 583 alta ruet Babylon. Cyrum mea templa videbit,  
 584 quem caesum Tomyris satiabit acerba cruore.  
 585 Agmina fluminibus Xerses ingentia potis  
 586 coget, et exili tandem leget aequora cymba.  
 587 Magnus Alexander, falso cui corniger Ammon  
 588 dicetur pater, ad Persas remeabit et Indos.  
 589 Thessalia et Parthi, Cretenses, Argos, Athene  
 590 Marte ruent. Romana cadent civilibus armis  
 591 imperia, et validae bello Carthaginis arces.  
 592 Julius, a Phrygio cognomine dictus Iulo,  
 593 Pompeiana ruet penitus fastigia, Romam  
 594 opprimet et duro morietur vulnere. Caesar  
 595 Augustus succedet ei, qui pacis amator  
 596 Mavortis premet auspiciis durisque catenis  
 597 vinciet, et totum sub pacem comprimat orbem.  
 598 Hoc regnante, puer nascetur origine mira  
 599 pauper, Olympiaca demissus ab arce (fatendum est).  
 600 O genus humanum, gens Lesbia, crede Tonantem  
 601 hunc fore veridicum, quem Virgo immensa decensque  
 602 Virgineo educet partu. Quaecumque deorum



603       templa cadent suadente ipso. Miracula totis  
604       cognita erunt terris. Demum surgente tumultu  
605       invidiae et facibus morietur caede tremenda,  
606       qua regnum Judaea tenet rutilantque prophetae.  
607       Hoc moriente jubar solis tenebrabitur ; ingens  
608       eclipsis lunae jam plenis cornibus, unde  
609       ille recensebit Graio Dionysius orbe.  
610       Aut patitur natura tuus deus, aut tuus ingens  
611       motor, inexpertis vel mundi tota ruinis  
612       machina solvetur supremo appressa Barathro.  
613       Illud erit majus triduo cum exsurget ab antro  
614       clausaque siderei reserabit limina caeli.  
615       Tartareas Erebi perfringet cardine portas.  
616       Hinc Nero concidet Latium. Mox Flavia proles  
617       vastabit Solymos. Patriae miracula mensae  
618       cernet Apollonius magicasque superbia ad artes  
619       Madaurensis erit. Romanae moenia gentis  
620       Pontifices freno sancti moderante tenebunt.  
621       Attila vastabit Saturnia rura, phalanges  
622       barbaricae Italicis reserabunt agmina campis.  
623       Orbe sub Assyrio fallax Maumetus iniquis  
624       legibus alliciet gentes, bella impia miscens  
625       Byzantina Lycos cadet alto culmine. Longis  
626       cladibus infelix Latium cruciabitur. Heu heu  
627       vix patriae venerandae artes, vix cuncta lababunt  
628       Gymnasia, et longo cessabunt tempore mores  
629       Palladii, ingeniis nulla emolumenta dabuntur.  
630       Virtutum omne genus facto agmine abibit, et ultro  
631       succedent fraudes, incendia, rixa, tumultus,  
632       insidiae, arma, doli. Parasitis cena, choreis  
633       munera, divitibus palatia. Nulla dabuntur  
634       vatibus hospitia, et doctis suprema nocebit  
635       paupertas, donec soboles volventibus annis  
636       alta Simonetae venient, qui Insubribus oris  
637       caedent monstra, ferent agrestia, tempora rumpent  
638       tristia et auratum rediment per tempora saeculum.  
639       Italia, Italia, ex te te nascetur honoro  
640       carmine Quintianus, libris qui nostra rependet  
641       gesta tribus, juveni cui laurea sancta fidesque  
642       donetur, qui longa canet miracula rerum.  
643       Mox extrema dabunt incendia sidera. Caelum  
644       ignibus, arva, lacus, silvas, nemora alta domosque,  
645       totaque combusti flagrabit machina mundi.  
646       Hactenus. Ecce hilaris nostro depectore cessit  
647       spiritus, humanos et habent mea corpora sensus.